

LEONIS ALLATII

# CONFUTATIO

FABVLÆ

DE

IOANNA PAPISSA,

Ex Monumentis Græcis.

BARTOLDVS NIHVSIVS

recensuit, Prologo atque Epilogo auxit,  
nec non Telescopium adunxit.



COLONIÆ AGRIPPINÆ;

Typis IODOCI KALCOVII

& Sociorum. c13 13 cXLV.

Leonis Allatii, viri, in Ecclesia Catholica, de eruditione, industria, virtutibusque cæteris, laudatissimi, Confutatio fabulæ de Ioanna Papissa, legi meretur, non in sola Italia, sed ubique terrarum. Quare typographi nostrates typis mandent eam: quin & Prologum adjiciant, cum Epilogo. Coloniae, Februario MDCLV.

*Henricus Francken Sierstorpfius, SS. Theolog. Doctor; Metropolitana Colon. Presbyter Canonicus; Gymnasii Laurent. Regens; librorum Censor.*

3

A D ILLVSTRISSIMVM  
CELISSIMVMQVE PRINCIPEM

A V G V S T V M,

Brunsvicensium ac Lunebur-  
genſium Ducem,

PROLOGVS GALEATVS

BARTOLDI NIHVSI.



Uicet, quo die ſcribo hæc, auſpicer ætatis an-  
num quinquageſimum ſextum, necdum ta-  
men piget, ſincere & clare proloqui ea, quæ  
noſſe intereſt patriæ meæ ſine dubio. Sed  
non eſt, quod effundam ſtatim omnia. Pau-  
cula nunc ſufficient: perſequendi alia dabi-  
ur alias occaſio. Si dignaberis, magne Imperii Romani Prin-  
ceps, audire meam exiguitatem, erit quod mihi gratuler, utue  
boni non mei ſed tui tuorumque ſtudioſus unice. Res ita habet.  
Academici Helmeſtetenſes utinam agerent cautius, cum arietant  
in Eccleſiam noſtram Catholicam. Rectius equidem conſule-  
rent ſaluti, & ſuæ, & eorum, quos habent ſibi, tanquam ducto-  
ribus, obnoxios. Fidem dicto faciam oportet.

II. Perſuadere nobis quidam ipſorum velit, Franciſci Guic-  
ciardini, pueriliter irati, neſcio quas nœnias, à Pithœo, Catho-  
lico laudatiſſimo, exornatas hoſtili in Rom. Pontificem prolo-  
go. An ita ſit, inquiſivi in Galliis, ubi Pithœus vixit. Ac depre-  
hendo, teſte non uno, eſſe merum figmentum, ab inimica Ca-  
tholicis & falſaria manu proſectum. Audiatur nunc vel ſolus  
Ioannes Morinus, amicus meus eximius, cujus nomen celeberrimum  
ubique gentium. *Præſatio illa, inquit ſcribens ad me,  
in diſcuſſum Guicciardini, non eſt Pithœi. In Pithœi operibus, ante  
paucos annos Lutetiæ diligenter collectis & editis, non exſtat. Deinde,  
legi in Bibliotheca Thuana duas Guicciardini, de origine poteſtatis &c.*

*varias editiones ; in quibus Pithœi nomen non est isti præfationi præfixum. Quapropter insignem optimo viro injuriam Germanus ille infert. Capiat sibi hoc literatulus iste Helmeſtetenſis, qui quo loco ſit habendus, indicavimus antehac nonnihil ſub Anticritici finem, in Parergo, indicabimusque alibi pluribus.*

III. Porro, in hujus collegis, mihi olim familiaribus, non minus inepte creduli reperiuntur. De Conrado Horneio quid dicemus ? Contendit is grandi volumine, Veteris Teſtamenti libros noſtros, qui non ſuperſunt Hebraice, non eſſe Canonicos. Quare ? Multa congerit argumenta ; quorum ultimum, & ſic, ut reor, viſum ipſi fortiffimum atque inſuperabile, hoc pacto effert : *Poſtremo, Canonem noſtrum Eccleſia Græca pro legitimo hodieque agnoſcit, & libros omnes pro Apocryphis habet, quos noſtri Proteſtantes eo loco habent.* Vnde vero hoc & ſcit ipſe & nos docet, quibus haud conſtat aliud, quam idem hac de re ſentire cum Latinis Græcos, non Catholicos tantum, (quorum ſemper manſere complures,) verum & Schiſmaticos ? *Teſtem, inquit, ejus rei do Metrophanem Critopulum, hieromonachum, & Cyrilli Patriarchæ nunc Conſtantinopolitani Protoſyngelum, in epitome Confeſſionis Eccleſiæ orientalis, ad Academiam noſtram ſcripta, & nondum edita.* Sic ille, & anno quidem *MDCCCXXXI*, cum eſſet Patriarcha Cyrillus Lucaris. Atqui Cyrillus hic fuit Calvinianus, agnoſcentibus etiam Genevenſibus ac Batavis ; qui Calvinum ſectantur, illoque adeo nomine dein condemnatus ab Eccleſia Græca ipſamet, Synodis Conſtantinopolitanis duabus, quæ typis mandatae proſtant publice. Et Metrophanes Critopulus iſte erat ejus Cyrilli aſſecta. Quid mirum igitur, ſi magiſtri contraxerit indolem ? Sane, ſicuti Cyrillus fuit mentitus, Confeſſionem, quam ipſe vulgavit, eſſe Græcorum omnium, ita nec meliore fide Græcis iſdem adſcripſit ſuæ Confeſſionis privatæ neſcio quam epitomen Critopulus. O ergo infelicem Horneium ! Videat videat, ne facinus iſtud ulciſcantur dignis modis Græci ipſimet, ubi reſciverint.

IV. Sed paullo magis contemplemur jam Georgii Calixti ſapientiam ; ut qui *primarius Helmeſteti maximusque Theologus, immo & incomparabilis vir ſalutari amat ; quemadmodum in Parergo & alibi notavimus.* Accenſet is, ubi de conjugio clericorum ſermocinatur, *hitoriis eccleſiaſticis, & indubitatiſſimis quidem,*

quidem, fabulam de Ioanna Papiffa. quod mirum ; cum cætero-  
 quin fere quidvis ei fabula fit, quod nobis est historia. Sed quid  
 miror ? nonne est genius iste contumacium & matri Ecclesiæ re-  
 bellantium ? in his equidem strenuum sese exercitatore præ-  
 bet Calixtus. At undenam demonstrat nobis, esse historiam id,  
 quod novimus diximusque esse meram fabulam ? An è coævo  
 rei, de qua quæritur, scriptore ullo ? Audio quidem, esse alibi  
 locorum, qui miffitent, literis illud mandatum esse ab Anasta-  
 sio Bibliothecario. qui, si fidunt suæ cauffæ, cur silent à tot jam  
 annis ? nimirum, *Parturiant montes, nascetur ridiculum Nil.* Quo-  
 nam vero testes exhibet Calixtus ? Marianum Scotum, Sigeber-  
 tum Gemblacensem, ac Martinum Polonum. Atqui trium ho-  
 rum libri manuscripti antiquissimi nihil prorsus de Papiffa me-  
 morant ; quod & monuerunt adversarios Catholici nostri ante  
 me, & Calixtum apertissime ego jam anno *CIC IOC XXXI I*: quam  
 ob rem verisimilius nobis, ab auctoribus istis ipsismet narratio-  
 nem eam haud fuisse in literas relatum. Probet igitur Calixtus  
 nobis, testatos revera tres illos, existisse Ioannam Papiffam.  
 Nunquam fecit ; nunquam faciet. Subducit se potius, ubi ex-  
 solvendum isthoc debitum. Sed retrahendus è fuga est, ne im-  
 pune auferat injuriam, qua affecit Sedem Apostolicam.

V. Ait, non debere se mihi quidquam demonstrationum, sed  
 Ecclesiæ nostræ, neganti, ubi ipse affirmet ; absone itaque debi-  
 tum sic à me urgeri. At ego, sicuti negotium gero, non meum,  
 uti sum homo privatus, verum Ecclesiæ nostræ totius publicum,  
 ita non poposci, ut mihi, tanquam privato, sed ut Ecclesiæ huic  
 ipsimet, probanda probatum iret, adeoque tanto minus id face-  
 re detrectaret, quia nec ipse ab hoc onere sese eximeret, sed suos  
 ei humeros supponendos ultro offerret. Quorsum igitur, molle  
 se mihi probare quidquam, toties ingeminat, & non omittit po-  
 tius mei mentionem penitus ? Nimirum, ne nihil dicat, nihil ad  
 rem dicit. Quam stropham deprehendunt manibus nunc ipsi  
 etiam pueri.

VI. Vehementer quidem angi me putat, ubi, me sic ab ipso  
 despici, percipiam ; adeoque sperat, fore, ut, succumbens mœ-  
 rori animi, flāgitandi ab eo, quæ debet, finem faciam. sed ve-  
 hementer errat. Honor enim est mihi, despici ab eo : quare po-  
 tius lætitiis plenus mihi gratulor, magisque ad vellendum ei au-

res exacuor indies : quod ipsi cordolium ingens creat, scio. Et quidni læter ac rideam, qui ita ridicule despicior ? Ridiculum enim est, denegare mihi, & iterata quidem sæpius vociferatione ac stomachatione, id, quod ego non petii, & agnoscere tamen debitum ejus rei, quam ego petii unice. Ridiculum insuper maxime est, quod negat, me sibi esse tanti, ut contra me scribat, & scripsit contra me tamen duo volumina, Digressionem, & librum ad Colonienses alterum; (ut nil dicam de opusculis ipsiusmet pluribus, & epistolis de me, ad alios datis.) Qui enim scribit, eum in modum, contra Ecclesiam, contra me simul scribit; ut qui & Ecclesiæ membrum sum, & nil nisi Ecclesiæ causam ago. Qui sic item nominat me, & mihi adversatur publice, contra me profecto scribit; ut ut millies inficietur, se contra me scribere. nam protestatio factò contraria est. Nisi si Calixtus hoc una velit, non contra me, sed contra alium, mihi cognominem, prodiisse chartas eas, ita ab sese non melle sed felle tinctas. Immo, non ipse tantum scripsit contra me publice, & sæpius quidem, sed & per alios id fecit, arrepta sigillatim occasione à quæstiuncula de Irærio: &, quod amplius est, ita premi se à me sensit, ut imploraverit inde, tum Academiæ Germaniæ Catholicas, tum denique per te, Princeps Celsissime, Septemvirorum quoque Eminentissimum, Archiepiscopum Moguntinum, ut is librum Coloniensibus inscriptum posteriorem, qui recta mihi oppositus est, legere sustineat, & causæ merita cognoscere: quo eodem pacto cur non & ipsum imploravit Imperatorem Romanum, cum Regibus exteris & Rebuspub. Catholicis omnibus? licet enim sat magnus mihi honor sit habitus, ille nempe quem dixi, fuisset ibi tunc major tamen ac luculentior. Præfexit, scripsisse adversus Nihusium se, non nisi rogatu quorundam suorum. verum, si illis persuadere non potuit, silentio me digniorem existimari sibi, quomodo persuadebit Catholicis, non se scripsisse contra me, dum contra me scripsit? Videri item velit scripsisse, non contra me, sed contra meorum libellorum Censores. Sed hoc dictum evertit ipse, dum & me nominat crebrius quam illos & invadit sermone virulento. Et cur defendere Censor, quicquid suo permisso exit in lucem, teneatur, cum id oneris impositum ipsi non sit ab iis, qui censendi partes tribuerunt? non ita, inquam, est; quicquid secus arbitretur

tritur capitofulus quispiam Helmeftetenfis. Ecce, quor modis  
 eft homo hic ridiculus.

VII. Ac demus, me & revera despici ab ipfo tantopere, &  
 postulaffe, ut opponeret sese mihi, ac si privata mea res agere-  
 tur; quorum neutrum est verum: quare tandem, obsecro, ita  
 dedignatur contra me scribere, seu mihi quidquam probare?  
 Quia maledicus in ipsum ego prior. Ita videlicet Calixtus. At-  
 qui, inquam ego, sicuti quondam Lutherus, cum sui similibus  
 primis, Ecclesiæ maledicere, seu fidei ac religionis adulteratæ  
 crimen impingere, nullo alloquio odioso ante laceffitus, cœpit;  
 ita Calixtus in eandem Ecclesiam, cujus ego personam gesto,  
 maledicentissimus est jam inde ab anno CIO IO C XI; quod scri-  
 pta ipsius testantur affatim. Sane, si vel decimam partem con-  
 vitiorum ejus evomat subditus quispiam in Principem Luthera-  
 num, gravissimis ille pœnis ab hoc dignus habeatur, utut aucto-  
 ritatem ejusdem ultra agnoscere abnuens. Calixtus autem est  
 Ecclesiæ subditus, quantumvis id neget pernegetque. Qui ne-  
 gare interim nequit, subditum se esse Imperatori, convitiis iis-  
 dem lacerato gravissime, quia Catholico, & primario quidem.  
 An vero ego, qui, ut audivimus, non nisi Ecclesiæ partes otheo,  
 maledixi Calixto, aut Lutheranorum cuiquam, ante annum  
 CIO IO C XI? Contra potius ipse, in Digressione, de me, qui  
 Helmefteti degere desi anno CIO IO C XVII, & annis pauculis  
 post Vinariæ: *Quam diu apud nos vixit, humanus, comis, officiosus  
 fuit, probitatis, æque & virtutis, ac literarum, studiosus.* Sed neque  
 de meis maledictis, tanquam prioribus gravissimisque aliis lo-  
 quitur, nisi de illis, quæ ait in chartam à me coniecta anno  
 CIO IO C XXX. Cæterum in Ecclesiam nostram, quam ego nunc  
 repræfento, sævus atque injurius ipse fuerat ab anno CIO IO C XI;  
 ut dixi. Nec improbitate ea contentus tamen, in personam in-  
 super meam privatam gravissime atrocissimeque invehus fue-  
 rat prior, Programmate quodam, anno CIO IO C XXV, & his qui-  
 dem verbis: *Quanta vero & quam immanis impietas, viventis Dei  
 verbum, quod non potest non esse vivum & efficax, & quod ipse Bar-  
 touldus aivómsv esse non inficiatur, mortuam & suspectam literam, ab  
 hominibus partim aperte partim forsan etiam occulte facinorosis. profe-  
 ctam criminari!* quod profecto maxima calumnia est in me, prorsus  
 hic immerentissimum; cum videlicet Calixtus, enunciata

mea truncans, affingat mihi ea, quæ potius in pugno totus eadem illa, quam exagitat, epistola, Hildeshæmi typis commissa. Quæ calumniam etiam repetiit anno CIO IO C XLII ad Colonienſes, immo gravioſerem reddidit, adjiciens : *De Scriptura profecto, ejusque auctoribus, longe rectius & honorificentius loquitur antiquus ille, impostor Muhammed, quam novus hic vester Artifex.* Ecce, Muhammete in super ipſo deterior ego huic homini. An convitio pejore proſcindi Christianorum quis possit ? Vix puto. Et ejusmodi calumniis pluribus tamen scætet Programma istud. Quam rem patefacio alibi ex professo. An vero exceptus ipſe sic à me ante fuerat ? Figmentum est. Hoc ibidem ostendo ad oculum. Qui & nego itidem, injuria affectum à me eum, aut suorum quemquam, anno CIO IO C XXX. Ait quidem, *furiose* Πηχαιρέκωνν *fuisse me tunc ; ait item, supplicio capitis dignum se à me proclamatum : sed ait solum utrumque, neutrum autem efficit è verbis, quæ contendit esse & mea & bona fide recitata ; cum tamen subleſta nimis apud me sit hac in re fides ipſius. Immo, (si verba mea revera fuerint,) non solum nihil tale inde probat, sed & maligne affingit illi sermoni ea quæ audivimus ; perinde atque fecit, cum quereretur, professoriam sibi linguam à me fuisse exprobratam, ut Senecæ ab Agrippina, (de quo nos in Epilogo Irnerii,) nec non id egisse me, ut abreptum ipſum per Cæsareos milites, ac navi inpositum, deportarem in terras remotissimas ; qui non nisi de Navi stultorum Kaiserspergica, & aliorum quidem dicta solum referens, loquutus fueram. Επηχαιρέκωνν enim, sive gaudium de calamitatibus aliorum, vocat ipſe, quod scripserim, non immerito canere Catholicos, *Te Deum laudamus,* quando victoriam de hostibus Ecclesiæ referant, licet iisdem non concinentibus. Quo ipſo equidem Πηχαιρέκωνν prodit, non nostram, utpote quæ nulla est, sed suam suorumque, hymnum eundem cantantium, clade illata Catholicorum cœtui. Carnificem item animum esse mihi, autumat, ubi solum recte monui, videret, ne Catholicos, tum temporis rerum potitos, Proœmio suo Vincentiano similibusque libellis adversus Ecclesiam seditiosis irritaret, sicut videretur irritasse scripto quodam, itidem aculeatissimo, non nemo quinquennio ante, indeque, sive juste sive injuste (neque enim ego meum interposui iudicium,) de medio sublatus, Nimirum, velit sui me esse similem,*

qui,



qui, ut in Suscitabulo apertum reddidimus, expurgatores librorum, ubi nihil prorsus peccarunt, mereri ait, qui pascant in cruce corvos. O quam triumpharet, si mihi ejusmodi quid excidisset! Verum rectius docet me Ecclesia Catholica & vitæ meæ ratio & indoles ipsa. Hæc duo, inquam, sunt, apud hunc hominem, crimina læsæ majestatis Calixtinæ omnium maxime intolerabilia: cum tamen infontissimus hîc ego, illius vero accusatio injuriis acerbissimis plena. Quas (licet actionem servans mihi integram,) dissimulavi hæctenus tamdiu, data opera, ut homini parcerem nonnihil, nec vindictæ nimis censeret cupidus; (quantum opus misericordiæ verius est, quam vindicta, corripere ac ridere maledicos hujusmodi, & in Ecclesiam Dei injurios priores; quod & alias nemini, sic ante læso, negatum fuit facere, præsertim ubi judicis alterius impatiens ille, qui læsit;) ac dissimularem etiam, quicquid hujus est, porro, nisi ingeminasset ex eodem Programmate Calixtus eadem deinceps in volumine ad Colonienfes posteriore; affingens mihi, inquam, quæ mortali nemo, qui sapiat quidem, è verbis meis unquam vel exsculpi posse dicet; indeque adeo dubitare aliqui cœpissent, an non tacerem, quia maledicentiæ meæ mihi conscius. Sed, quid mirum, agere eum sic mecum, qui sententias, fidei nostræ Catholicæ adversas, affingit semper & Ecclesiæ primævæ & Scripturis divinis ipsismet? Quam rem ostendere cum non sit jam proprie hujus loci, en specimen solum exiguum aliud. Audivimus remittentem nos ad illud Apostoli, *Vivus est sermo Dei & efficax*: & tamen agitur hic nequaquam de sermone Dei scripto, ut ipse vult, sed de Verbo Dei, quod caro factum esse ait S. Ioannes: quod & ex contextu manifestissimum & insuper à nostris vel millies inculcatum. Verum, ut, ad rem redeunt, uno verbo dicamus, quod proponebamus dicere; ob maledicentiam meam, ceu priorem, ita despicit me, ut alloquio publico nullo dignum censeat; & verbis tamen meis, ubi maledicta meæ, tanquam priora gravissimaque, contineri asseverat, maledicta solum affingit, cum ibi nulla reperiantur. Quare? Ut, qui prior maledixit Ecclesiæ, maledicta dein plura adcumulet. Qua in re graphice admodum refert nobis lupum Æsopicum, qui ad riyum captabat occasionem devorandi agnum.

VIII. Sed habetne præterea, cur de iis, quæ ad fidem ac

religionem spectant, mecum tractare, adeoque probare quidquam, recuset? Ita plane. Mea nempe disputandi ratio multum quoque ipsi displicet. Qua in re vero? Inter alia, quia negem, Ecclesiæ incumbere onus probandi subdito rebelli quidquam eorum, quæ ipsa affirmet, ille neget. Merum id subterfugium esse, diximus nos quidem in Suscitabulo, Telescopio, & illic ubi palam facimus, quam ridicule inficietur; primum, possessionem & præscriptionem recte hic allegari à Catholicis; (quasi nempe nulla detur possessio aut præscriptio, nisi quæ nitatur jure Cæsareo mere positivo, quasi item, qui tenent Helmeſteti cathedram Aristotelicam, renunciaturi possessioni & similibus beneficiis juris, ubi dejectum ipsos veniat progenies Petri Rami;) deinde, neminem hic reum esse posse, neminem actorem; (quod acumen si in mentem venisset Hofmanno & Buschero, quidni triumphassent facillime, ille de Caselio, hic de Calixto?) Sed audiamus in præsentia tamen argumentorum ejus aliquid.

IX. Quicumque docet alium, probare semper eidem debet. sed, quicumque affirmat quid, negante alio, docet alium. quicumque igitur affirmat quid, negante alio, probare semper eidem debet. Ita Calixtus non uno loco: ita & nomine ipsius ille, qui fingebat cum fingentibus, Pithœum è Catholico factum Romanæ Sedis hostem, & alias triumphatus triumphantem explodebat quam suavissime, in negotio de Imerio. Verum, an, quicumque docet alium, probare semper ei debet? O quam innumeris id modis à veritate plurimum abest! Quid enim? An non docet, qui, discendi avido, dividenda dividit, ac distinctionibus conciliat ea quæ pugnare videbantur, & qui alias mentem solummodo suam explicat, aut definiendo, describendo, similibus illustrando, seu quoquo alio pacto, aperit, & qui recitatorum agit, seu testem rei gestæ, aut interpretem linguæ peregrinæ, nomenclatoremve, & qui pueris tradit prononciationem litterarum alphabeti? An vero quivis horum probare semper sua debet ei, quem docet, & probare quidem huic, non solum ut discipulo, sed & ut Respondenti, seu judici? eo enim collimare Calixtum, res ipsa prodit undiquaque nobis. qui tamen fat novimus, in iis etiam, quæ, probando, sive conclusionem inferendo è præmissis, docentur, longe diversam esse rationem docendi discipulum, à ratione docendi Respondentem; cum nempe

pe discipulus principia syllogismi complexa, præmissas vocitari solita, præfertim quæ doctor pronunciet esse prima, credere, si velit esse non Respondens sed discipulus, teneatur, perinde atque puer, alphabeti notitia imbuendus, aut equidem dignus fuerit, qui jubeatur è discipulorum numero facessere; Respondens autem, quatenus quidem est Respondens, in casu nostro potissimum, vel convincendus sit è concessis, vel, si neget concedi à se omnia, non ultra urgendus invitus; quia de re infra pluribus. Neque vero hîc solum frustraneus Calixti conatus est, sed & in altero, ubi ait, quicumque affirmet quid, negante alio, eum docentis fungi munere. Nam & affirmat sæpe, negante alio, non solum qui docet, sive ut discipulum, iis nempe modis quos attingimus, sive ut Respondentem, sed & qui imperat aut legem fert, puta refractariis. An ergo, qui præcipiens affirmat subdito quæ fieri vult, docet eum, ac proinde probare quidquam eorum ipsi tenetur, ut discipulo, immo ut Respondenti quoque, seu judici, tribunal supremum dialecticum possidenti, cui sit potestas non obediendi, quamdiu neget, syllogismo se convictum evidenter ab imperante? Ecce quomodo cuniculos agit Calixtus, ut labefactet, seu potius convellat per orbem terrarum omne profus regimen! Ecce, quam præclare demonstravit nobis, quicumque affirmet quid, negante alio, probare illum eidem, & sic Ecclesiam quoque nostram Calixto similibusque, semper debere!

X. Exemplum autem, de præcipiente, & subdito negante obsequium, attuli lubens; quum fidei dogmata Christianis præcipiantur omnia. Quid? inquit Calixtus cum suis; fidesne præcipitur, quæ suadenda solum, ita ut unicuique relinquatur libertas conscientiæ? apage cum omnibus id genus laqueis & vinculis plusquam tyrannicis. Sed nescit Calixtus quid dicat. Dogmata namque fidei nequaquam sunt sententiæ, Christiano cuiquam arbitrariæ, sed leges divinæ Novi Testamenti, perinde atque Iudæis antea fuerunt à Deo latæ leges Testamenti Veteris. Neque enim Christus, ut philosophus quispiam aut medicus, sectam condidit, mære speculantem in scholis, sed Rex noster ac legifer est; quicquid contra effutiat miseranda insipientium natio. Lex autem jubet, non disputat, probando jubentis voluntatem syllogistice, donec persuaserit; pœnas minatur potius

tius immorigeris. At, inquit Calixtus, præcipiat solus Deus, quid credere vel non credere debeamus; nemo interea mortaliū habet potestatem, aliis mortalibus præcipiendi, ut acceptent quid vel non acceptent pro lege divina, seu adimendi eatenus ipsis libertatem conscientiæ; maxime, cum Scripturæ, quæ leges eas divinas continent, existent in medio positæ omnibus, verbumque Dei illud *αὐτόπρω* sit, fatente etiam Nihusio, seu fidem ex sese faciat, esse idemmet istud revera verbum Dei. O sapientiam, Calixto dignam! Vnde enim certus ipse, & ita quidem certus, ut quam certissimos reddere valeat, eos, qui negant, audiendos esse, quos pudor haud vetet refugere auctoritatem ejusmodi humanam omnem, ea in re, de qua loquimur? Vnde, inquam, nobis id vel verisimile efficiet, quibus merum illud somnium est; cum videlicet ludæi, ut nos docti sumus, debuerint leges divinas, ut scriptas accuratissime, & earum sensum genuinum, petere à Synagoga, ut lege Dei animata, seu res sacras ibi moderantibus, & horum responso tunc obedire, tanquam præcepto humano quidem, sed cui obtemperandum tamen, quod imperatum sic esset à Deo ipsomet, non vero quifquam suo hic arbitrio frena laxata velle, aut affectare libertatem conscientiæ; cum item, non solum Ecclesia Novi Testamenti ipsa potestatem ejusmodi acceperit à Christo, assistentia Spiritus Sancti, ad mundi finem usque perpetuanda, munitam, (absque quo si foret, impiissime profecto tyranniceque, in Synodis etiam œcumenicis, condita essent symbola fidei, & canones, anathematis poenam denunciante hæreticis, parere detrectantibus,) sed & hoc ipsum cuiusvis, imperanti tantum in secularibus, adeoque & patribus matribusque familias, permiffum sit, si ductum sequantur Ecclesiæ; cum denique libertas conscientiæ Calixtina ista, non sit libertas, verum projectissima ac barbariei plenissima servilitas, è contra vero filium obedientem esse, non solum Deo, patri nostro invisibili, & regi summo, sed & Matri isti visibili, quam Pater ille reginam nostram, post se summam, sibi que vicariam, constituit solidissime, non equidem sit servire, sed regnare, seu liberum nobilissimumque hominem, regno cœlesti dignum, agere in cœtu sacro militante; perinde atque in militia legitima quavis alia, quo miles obedit illibentius, eo abjectior est, quo autem libentius, eo genero-

nerosior, & sic barone quovis liberrimò liberior? Nec vero dixi ego, quod Calixtus, more suo dicta mea pervertens, ait, scriptum Dei verbum ita esse *αὐτόματον*, ut unicuique, audienti aut legenti, fidem simul faciat ex sese, quod sit verbum Dei; quod ipsum vel quotidiana experientia refellit abunde, quum nempe plurimi audiant legantque verbum Dei, in Ethnicis, ut & in Iudæis quod Novi Testamenti oracula attinet, nec tamen efficaciter inde semper comperiant, esse verbum Dei, sed hoc solum dixi, verbum Dei esse *αὐτόματον*, sive fide dignum per sese, (quia Deus veracissimus,) quando constiterit quidem, esse verbū Dei; adeoq; disertissime simul monui, quam plurimis, nempe quibus non ita, ut Prophetis & Apostolis, tam intrinsecus quam extrinsecus loquutus Deus ipse, haud constare de eo, ex audito à quovis, aut lecto in quavis charta, sermone divino; ac propterea relictam nobis Ecclesiam, ut ipsius Christi vices hic, Apostolorum loco, suppleat, & quidē, non proponendo solum, ut facit merus doctor, sed præcipiendo, sub anathematis poena ita, ut obedire teneamus, qui corporis Christi sive Ecclesiæ membra ac filii esse volumus. Sicuti pari quoque modo falsissimum est, verbum Dei non posse non esse semper efficax: nam, an semen est efficax, cum cecidit in viam pedibus tritam petramve, aut in agrum sentibus ac virgultis obsitum? immo, an Christus ipse convertebat omnes & singulos, qui dicta ejus accipiebant auribus, & sic etiam Caipham ac Pilatum? Atque, si homo homini præcipere humana auctoritate nequit, quid numerandum in legibus divinis, vel minus; cur Principes Lutherani, etiam qui Reges non sunt, edicunt id publice, quisque in ditione sua, & subditos inobedientes vel puniunt vel non æque cum ceteris ornant honore ac beneficiis? cur jura, ut vocant, Episcopalia possideri à se dicunt, ut possederat usurpaveratque nostra Ecclesia? immo, cur Calixtus quoque ipse ita increpat atque objurgat & convitiis gravissimis lacerat passim Ecclesiam, ac si dominus ejus, & illa mancipium suum, hoc in genere de quo agimus, foret, adeoque per latus Ecclesiæ sic tractat indignissime, ceu mancipiorum infimos, Catholicos Principes, Reges, & Imperatorem Romanum quoque, cui se profitetur esse omni jure subjectum? Quicquid sit, similimus ipse est iis, qui, alibi gentium residente Rege seculari, negaturi sunt, opus esse ullo Prorege, qui, senatoribus

toribus ac primoribus regni stipatus, præcipiat auctoritate Proregia, quænam habendæ certo & quomodo intelligendæ leges Regiæ; ubi hæ versentur in manibus omnium. Quem in modum quidni fas sit etiam filiis, repudiare matris cujuscunque auctoritatem, qua jubet, ut, suo unice ductu materno, jussa patris, qui peregre abest, exsequantur, licet alias nota ipsis quoad litteram?

XI. At, inquit Calixtus cum gregalibus, dictum à Christo fuit Apostolis, *euntes, docerent omnes gentes*; non vero facta eis copia imperandi de suo cuiquam, ut recipiat, quas docerent, leges Christi divinas. Audiar & ego. Aliud sunt gentes, de quibus Christus loquitur; & aliud est Christianorum illud genus, ad quod Lutherani pertinent; de quo Christus ibi non loquitur. Hoc ipsum si quis apertius à me tradi desiderat, animum ille advertat. Sicuti, inquam, qui id agit, ut submittant se legibus societatis cujuscunque alterius, qui hætenus quidem extra eam positi, necessum is habet ut eos doceat, quicquid legum istarum, totiusque societatis, aut regni, & sic Regis, vel quoque Proregis ac Senatorum Ordinumque, Rege ipso degente in regno suo alio, gubernantium, amorem conciliare possit; ubi vero illi, sic docti, in regni subditis nomen dederint, nequaquam eos vult sui adhuc esse juris, aut solius Regis, corpore absentis, imperium sequi, neglecto Prorege, præcipiente cum Senatoribus & Ordinibus auctoritate sua, quænam leges regiæ & quo sensu accipiendæ cuilibet in populo; idque tamen leges istæ tabulis consignatæ, atque in publicum editæ: ita plane Christus jussit exiri ad gentes, necdum Christianas, ac doceri eas legem Evangelicam, utpote hucusque ipsis ignotam, & simul explicari, ut Rex noster ipse præsideat conspicuus in regno suo celesti, tanquam primario, tamen reliquisse, in regno suo hæc inferiore, Proregem cum Senatoribus & magnatibus, ut eis, cum auctoritate præscribentibus, quænam sint leges regiæ, & quomodo accipiendæ, fidem adhibeant Christiani, tanquam abunde gnaris, & nunquam subditorum quemquam in errorem abducturis, aut legem humanam pro divina venditaturis, divinamve nullam abrogaturis; postquam autem gentes illæ obedientiam Christo hic in terris promiserint, nullo modo voluit, ut quisquam eorum frueretur potestate habendi aliquid pro lege Christi vel

vel non habendi, sed ea in re subjecit ipsos potestati Proregiæ, Senatorum Ordinumque consilio atque ope nunquam destituentæ, & quod præcipuum est, Spiritus Sancti directione perpetua conservandæ peculiariter, ne possit, si velit etiam, à veri tramite hic digredi : perinde atque, in suo genere, subjecerat catenus Iudæos imperio Synagogæ : licet enim hi magis gubernabantur heriliter, non tamen ideo noluit, esse regimen Ecclesiæ Novi Testamenti generale unicum, jurisdictione istiusmodi præditum, sed voluit, esse illud respectu Dei paternum, & respectu Ecclesiæ maternū. An vero derogat id libertati Christianæ? Non magis quam libertati Angelorum, quod non solum Deo, sed & sibi inter sese, inferiores nempe superioribus, dicto auditissimi sunt, cum ab eis jubentur peragere jussa divina; immo nec magis, quam libertati hominum in quavis honesta republica, ubi, qui præsumt, legem quoque naturæ, quæ Dei itidem est, lege sua humana, seculari, mereque positiva, cuique civium præcipiendo, ac pœnas delinquentibus minando, armant strenue. Atque hoc ipsum est, quod Christus voluit, cum diceret, *Docete eos, servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Mandaverat quippe Apostolis eorumque successoribus, quæ fieri & credi volebat à Christianis; doceri autem vult eos, qui necdum Christiani, donec & ipsi mandata ea capebant, atque ita ibi tunc ab uberibus Ecclesiæ, tanquam matris, ac legum paternarum indubitato peritæ, ac jubendi habentis potestatem, pendere unice, recens genitorum infantum instar; quemadmodum & oves pendent à pastore, quod solus ille rectissime sciat, quid pabulorum ipsis conveniat. Quam rationem docendi eos qui foris sunt, & nostri Catholici observant, nec illis assentiuntur, qui secus agunt, illæsi ante à gentilibus. Estque ratio hæc docendi, ut nec minus eos, qui docti sunt, continendi deinceps in fide, ne incerti fluctuent, aut in varias factiones discedant, prorsus facilima: cujus ideo Christus fuit auctor, quod voluerit, communem esse Christianis eruditis atque idiotis, nec subditum Ecclesiæ quenquam sufficere sibi ipsi in pastorem, seu pabuli divini præbitorem, qui tutus ab erroribus. Ac temerarii sunt hostes, qui clamant, Ecclesiam ipsam in fide errasse: nec enim demonstrarunt id unquam, neque demonstrabunt, nisi sophistice; quod licet ipsi fortasse non videant, videre tamen possent, si animum adjicere serio

rio candideque vellent, certe Catholici & vident & parati sunt ostendere, adeoque facilius, quam, ab erroribus vacuum esse Scripturam Canonicam ipsam. Ridiculi item sunt iidem antagonista, cum caussantur, nec resciri liquido posse, quicquid Ecclesia ipsa jubeat nos credere esse legem divinam. Noticiam nempe eam cuius esse necessariam, sumunt, tanquam certum; quod nos non magis concedimus, quam constat, in Synagoga cuique Iudæo memoriam esse debuisse Mosaicarum legum omnium, etiam ad se nil pertinentium, verum quoque in regno quovis alio nullum non civem callere debere, quicquid fuerit legum regiarum. Quod legum divinarum nostrarum quasdam attinet, largiar id quidem; licet cum grano salis, respiciens ad hujus illiusve captum, aut occasionem discendi, quam habuerit vel non habuerit. At, supposita auctoritate divina Regis nostri, absentis è conspectu mortalium, & Reginae Ecclesiae praesentis, sufficit non raro in multis ceteris, si subditus non contradicat absolute; (quod si faceret, Catholicus esse desineret:) conditionaliter enim contradicens, non contradicit, sed profitetur, idem sentire se, quod placeat Ecclesiae; dum videlicet mens haec ejus tunc est: Agnosco id, de quo agitur, pro lege divina, si tamen idem judicet Ecclesia; caeteroquin, quod illa senserit, sentio & ego; ex quo Rex meus Christus adiri à me nequit, & eam nobis hic suo loco reliquit, ad quam confugiamus, decipiendi nunquam. Ita, inquam, res habet. Neque Christus, contrarium se velle, indicavit usquam. Unde, qui putant, absolum id esse, similes ego eos dixerim tractantibus moralia ista, politiam concernentia, ac si essent res metaphysicae aut mathematicae, hoc est, ulna liquores metiri, statera librare lunares ac solares radios, auribusque videre colores, & oculis audire sonos, quarentibus. Neque curamus quidquam, negari ab adversariis istis, politiam Ecclesiae generalem à Christo fuisse conditam. nec enim sufficit, negare id nobis, qui docti sumus contrarium, Christianosque nobis inimicos omnes in suis primis ipsam agnovisse, perinde atque agnoscebat Lutherus ante, quam faceret in Ecclesia, quod Sadoc & multi sub Ieroboamo in Synagoga. nendum ut sufficiat, asseri ab eodem hominum genere, politiam illam esse mere secularem, atque auctoritate solum humana, post Apostolorum ævum, paulatim introductam. quanquam enim  
excul-



exulta est indies magis, & aucta tandem Imperatorum ac Regum accessu ad subditos, quod post persecutiones futurum vaticinati fuerant Prophetæ, nequaquam tamen inde secularis ea; sed regalibus politiis tanto sublimior, quanto regalis majestas potestate privatorum conjugum œconomica: Ita ut, qui sæcus sentiunt, regalem eam secularem nimis extollant, ac proinde magis perstringi mereantur, quam perstringuntur à Ioanne Filescoco aliqui, libello de idololatria politica; ex quo nempe regimen Christi substernunt secularium pedibus, contra quam secularis tribus primis fuerat, adeoque regnum Christi inferius hoc in tot regna discerpunt, quot sunt Reges Christiani; unde multo equidem sunt insipientiores Caipha, *prophetante, quod Iesus moriturus esset, non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Scio, adferri solere dicta Scripturæ; quasi ibi asserebatur, noluisse Christum, ut esset eiusmodi politia ecclesiastica. Sed & hoc scio, æque recte adferri ea, atque adferuntur ab Anabaptistis contra politiam Christianorum secularem omnem; hoc est, allegari, ut allegari Scriptura solet à diabolo. Verum ad rem. Christus quidem dedit Apostolis non nisi facultatem docendi primitus gentes, necdum Christianas; nequaquam tamen hinc efficitur, imperium hinc non esse Ecclesiæ in Lutheranos, qui se Christianos, adeoque olim, in suis maioribus, Catholicos, quales nos sumus, professi.

XII. Quod quanquam sic se habeat, nihilo tamen minus Ecclesia, ut Catechesin docet ignaros Catholicos, ita parata est semper quoque docere Lutheranos, prius quàm agnoscant maternam suam auctoritatem, quam agnoscere tenentur, præcipiendi videlicet quid acceptandum in leges divinas. immo identidem docet sic eorum non paucos. at quosnam? Qui ex iis volunt esse discipuli; non vero, qui hostes & iudices. Discipulus autem potius quam hostis ac iudex esse vult, qui libenter audit, quænam de quaque re mens Ecclesiæ penitissima & explicatissima sit; quomodo item ipsa conciliet cum Scripturis, aut primorum quoque Christianorum doctrinis, vel historia insuper ecclesiastica rebusve aliis, illa quæ discrepare putantur; tum, quid sentiat de syllogismis, quibus concluditur aliquid contra fidem nostram & religionem Catholicam, & num vitium ibi monstrare possit: qui, inquam, tria hæc libenter inquirat, & audiat respon-

fa, sive unius ex nostris, sive plurium, (nam felicior sæpe hic illo, aptiorve,) neque ante, suis objectionibus temere fidens, iudicat, Ecclesiam certo errare hactenus, ac respondere solidi nihil posse, aut etiam præscribere ei ausit, ex quibus principiis deducere ipsa quidvis debeat, ubi docere se voluerit; hic discipulum exhibet sese, ut par est. Eiusque indolis homines, utut à nobis in suis maioribus desciverint, docere discipit Ecclesia; summitens viros pios atque intelligentes, qui toti in id incumbant; ubi hostium quidem nemo opus illud optimum impediatur. Adeoque in gratiam talium, non unam sed plures *methodos probativas* tradidit quoque Veronius noster; quin &, se id fecisse, monuit anno **CIO IO C XXXVI II** Calixtum ipsummet; ita ut, qui id etiamnum negantes cum Calixto, virum optimum fugillare tamen, istoc nomine, non erubescunt, ne scripta quidem ejus vidisse deprehendantur. Estne autem discipulus ea, quam requirimus, indole noster Calixtus? Nihil minus; utut vociferetur ad ravim usque, oportere se doceri ab Ecclesia. Nam, è lectione nostratum plurima constare, ait, sibi rectius multo, quam Ecclesiæ ipsimet, tum de sententiis in ea publicis, tum de eo, quod neque conciliari à nobis, quæ ipse pugnare arbitratur, neque suas dissolvi objectiones, queant; atque etiam subjicit, probationes deberi ab Ecclesia sibi, ex iis principiis, quæ suo solum iudicio genuina principia sunt, nostro autem secus. Atque hæc omnia & singula non asserit solum audacter, sed & peremptorie, ut iudex cum sceptro, decernit, nosque condemnat, utut negemus, ipsum esse nostrum iudicem, nosque sufficienter auditos, aut ipsi quoque credendam potius quam nobis, suppeterè Catholicis nihil quod ultra depromant: immo non condemnat solum Ecclesiam, sed & criminatur ferocissime, tractatque ut beluam, ac si teneat subjectam imperio suo, idque jam inde ab anno **CIO IO C XI** hæc sine; ne dicam, quod, merito in possessiones ejus involatum à suarum opinionum hominibus, unà jactitat publice, aliisque, ut exemplum isthoc suum sequantur, auctor est: ac, si vel minimo inde verbulo castigatur ab Ecclesiæ filio quopiam, non adorante aut exosculante miserrimas, quibus Catholicam fidem adoriri consuevit, argutiunculas, seu spernente aut ridente, ecce immensæ magnitudinis injuriam id indiget, ac ceaties pluribus gravioribusque, quam antea, convitiis in illum

& Catholicos alios grassatur ; tanquam si liceret omni jure sibi, quicquid luberet, Ecclesiæ autem filio ne gry quidem adferre pro matre fas esset, vel Calixtus ipse nihil prorsus in Ecclesiam deliquisset, sed insontissimus læsus prior foret. Hunc sine tenetur Ecclesia docere, ut discipulum, vel etiam ut Respondentem, seu judicem ? Illud meretur nequaquam ; hoc vero longe adhuc minus ; quippe honore isto ac beneficio indignissimus. In animam Calixti non intrabit hoc pacto sapientia. Neque offerre oportet sic margaritas, aut sanctum dare, talibus. Ita, inquam, est. Et Ecclesia tamen, quia Calixti, quamvis filii degeneris, mater est benignissima, indeque vehementer dolet, ipsum, & quidem cum grege non exiguo, ruere in interitum, libentissime vellet eum, ut discipulum, docere ; quum, nisi doceatur, salvari nequeat. Quid consilii ? *Qui serere ingenuum volet agrum, Liberat arva prius fruticibus, Falce rubos filicemque resciat.* Nisi purgatio præcedat illuminationem, illuminationi locus erit nullus. Hoc est ; Ecclesia dedoceat Calixtum dedocenda, prius quam docere occipiat. Eritne labor duplex ? Non postulat hæc mater ideo didactrum geminatum, ut apud Plutarchum tibicen Timotheus : mercenaria non est : filii perditum in patris domum reditus, abunde persolvit operæ sumptæ pretium. Redire Calixtus nolet ? redibunt alii, si Deus annuerit. Redibit nemo ? necdum frustra fuerit cónatus optimus ; compensabitur in vita altera. Nimirum Lutherus & similes (perinde atque Adam & Eva, immo Draco etiam & angeli ejus,) repudiatis principiis vetustioribus optimisque, elegerunt privatim principia alia, nova, pessima, impiissima, licet obtusis jam passionumve tempestate ac præjudiciorum temerarium nebula occupatis ingeniis credita sanctissima. His principiis & Calixtus imbutus per suos, obnititur Ecclesiæ, genitrici per Baptismum suæ. Hoc vepretum ex horto isto, antequam coli & conseri possit, extirpandum, quantum in nobis quidem fuerit. At quo pacto ? Quandoquidem homo hic, ut olim Lutherus, ad Arii, Eutychetis, & Nestorii exemplum, læsit Ecclesiam prior, dica scribatur ipsi, ceu ex lege *Dissamari*, ut veniat si vir est, & Ecclesiam errare vel in unico quod fidem attinet, ubi illa negante ipse affirmat, Catholicis demonstrer, neque utatur nisi argumento unico, & eo quidem quam brevissimo ; atque audiatur ibi tunc Ecclesia ; nec ante abrumptur,

multo minus vero effugiis, ad rem nil facientibus, proteletur negotium. hoc enim ut minimum tenetur facere; sicuti est in confesso. Neque permittatur ei, vel minimam ab Ecclesia postulare probationem, ut discipulo à magistra, multo minus autem, ut Respondenti ab Opponente: nec enim ulla nos ad id necessitas adigit, quamdiu sapientior doctrice illa censeret expetit, Respondentis autem partes omni jure sunt nostræ, neque conferendæ ipsi sponte nostra, quod sit hostis pridem acerbissimus. Atque ibi tum, vel auctoritatem judicis, quam usurpavit hæcenus, debet seponere, & modeste quærere, quid sentiamus, quomodo conciliemus visa pugnantia, quid in objectione sua desideremus, sive quæ principia ibi negemus; & sic transigi res amice poterit: vel, si quærere nolit ante, quam argumentetur, sed recta syllogismum proponere, inque eo pedem quam obstinatissime figere, sententiam à nobis expectare debet, qua monstrabitur, vel ignarum ipsum esse nostræ, cui conclusionem opposuerit, sententiæ, vel inconsiderate existimasse, conciliari à nobis haud posse quæ crediderit ipse esse contraria, vel denique fultum ipsum principii, quæ neque à nobis admittantur, neque aliunde nobis, aut neganti cuiquam, persuaderi funditus queant; unde tum patebit, causa ipsum cecidisse. Adeoque hoc sine citatis est per me, & premitur, jam inde ab anno MDCCXXXI.

XIII. Atque hæc, occasione verborum Calixti: *Quicumque aliquid affirmat, is alium, qui id nescit aut negat, docere vult. Docere autem aliter non potest, nisi probet, quæ affirmat. Probandi enim necessitatem, docenti & affirmanti ipsa rerum natura inposuit; quam proinde excutere velle, cum stoliditatis tum desperatæ causæ argumentum est.* Ad quæ nos ita respondimus, ut liqueat, seu fixum apud nos merito permaneat, Ecclesiæ affirmanti non incumbere onus probandi quidquam Calixto neganti. Quod ipsum & Calixti concessu verum esse, obtinerem, si vellem, facillime: nempe, quia dicit, ut supra audivimus, qui prior maledixerit, ei ab altero, qui læsus, probandum nihil esse; Calixtus autem prior maledixit Ecclesiæ; quod apud nos est manifestissimum; ergo Ecclesiæ nomine tenemur ipsi probare nihil. Sed largiamur, sua eum vineta sic non cædere; largiamur item, probandi onus incumbere nobis affirmantibus: salva tamen adhuc res nostra est. Quæ sic? Nam fatetur Calixtus, & sibi affirmanti incumbere

berere onus istud: atque insuper priores partes dignioresque assignat, in Digressione, sibi suorumve cœtui, Catholicis autem partes posteriores, tanquã ignobilioribus, aut Lutheranorum quasi pedissequis. Quidni ergo hi Calixto deferant honorem, ut prior ille probet? Præeat, inquam, probando, saltem unicum, hac vice: & videbimus tunc, an & nos teneamur probare vicissim. Immo non id videbimus, sed sine mora lubentes volentesque probabimus, sive ut discipulo, sive etiam ut iudici, non unicum, sed omnia, si Calixto placuerit; nec postulabimus, ut ad probanda sua cetera ipse redeat, ubi nolit. Quanquam, quid opus erit, ut probatio postuletur à nobis, postquam unicum probaverit Calixtus? nempe, cum victas daturi tunc simus manus, neq; Lutheranis moturi controversiam deinceps ullam. Atque ea propter Calixtus frustra excipit contra nos ideo, quia probare nolimus quidquam eorum, quæ affirmamus.

XIV. Ceterum excipere hic homo necdum desinit, sed pergit, ardentior etiam quam hactenus. Argumentum ejuscemodi unicum vibrare in nos, ita quidem ut in eo totius rei cardinem constituat, prorsus declinat. Cur vero? Displicet ipsi promissum, quod feci, si observaturus sit leges, OppONENTI à me præscriptas. Displicent & leges ipsæ. Promissum illud in eo vertitur, quod, si convincar argumento solum uno, deferere velim tibi tunc meam fidem, ac transire ad Lutheranos, in omnibus. Quid hinc tibi vis, mi Calixte? Ais, non esse in mea manu, deferere fidem in omnibus, ubi erroris convictus fuero in unico; ergo vel nugari me inscium atque ignarum, vel tibi verba datum ire. Audi, mi homo, juxta cum discipulo tuo, per quem hæc & similia effutis in dedicatoria quadam ad Cancellarios & Consiliarios Cellenses, Wolfebytanos, & Hannoveranos. Non dixi categorice, ut vos fingitis, esse id in mea potestate; sed hypothetice, ad stipulatum tibi me in omnibus, ubi conviceris in unico: immo disertissime simul negavi, fieri posse, ut argumento unico illo, quantumvis primario, nos convincas. Quare perinde philosopharis, ac si dixissem ego; Quod si digito cælum tetigeris, faciam te Imperatorem Turcarum & Sinensium; tu vero inde efficere velles, arrogare me mihi potestatem conferendi regna ista cuicumque pro meo lubitu. Non sufficit? Argumentare, & convince, si vir es, Catholicos: &, ubi conviceris,



proclama tunc nos mendaces, qui negaverimus, convinci nos posse. Atque ibi, palmam tibi inde offerentes, plura argumenta, vel quoque omnia, gaudentes ex te audiemus. Quid vis amplius? Equidem, si ne unicum quidem proferes, quo initium rei aliquod fiat, multo minus copiam nobis facies plurium; & sic turpiter causam tuam desereres.

XV. Cœpimus alloqui te: cœptum continuemus paullulum. Displicentne & leges tibi, quas proposui? Omnino; quod videlicet nimis dura sit, juxta eas, conditio laceffentis, quem Opponentem nuncupant. Qua in re vero? Primum, quia, prosyllogismis ipsius admittere locum, refugiam. Deinde, quia, rationem negationis nolim ei unquam reddere. Sed querela tua præpostera est, saniq; expers judicii. De priore prius. Repudiarem prosyllogismos meritissime omnes, si vellem; idque ea de causa, quia hoc agens unice, ut syllogismum proferas, qui prosyllogismo apud nos non indigeat, sed fulciatur concessis ab Ecclesia principiis tuis primis, præmissis nimirum duabus; neque enim paucioribus nititur apud nos conclusio. At quisnam, inquis, divinare potest, quænam principia ab Ecclesia concedantur? Audi. Si nescis id, cur ita temere condemnas eam? cur item scribis toties, bene habere, quod in principiis conveniamus? ecce, quam pulcre constas tibi! Porro, si nescis id, quod diximus, nec divinare didicisti, cur non ante interrogas Catholicos, & ab eis discis, quam argumentari serio occipias? cur eos, hic semper futuros tunc promptissimos, adire, sive coram sive per epistolium, negligis? Dicam. Quia judicas pervicacissime protervissimeque, scire te id, ac melius quidem scire, quam sciat Ecclesia ipsamet ac Doctorum ejus quisquam, utut nondum sufficienter auditus unquam, utut item deprehensus tu toties, in meis aliorumque verbis intelligendis, ubi obscuritatis profus nihil est, errasse, quoniam percontari mentem dicentis nolueris, omnes Catholicos præ te meros esse fungos aut stipites existimans, improbissimeque despiciens oraculum isthoc divinum, apud Salomonem: *Qui prius respondet, quam audiat, (& maxime quidem, si ita respondeat, ut judicet condemnetque inauditos,)* stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Nimirum, doceri, ut discipulus aut consultor, nequaquam cupis, licet proclamantes ubique, partes te docendi incumbere Ecclesiæ; sed re-

vera

vera judicare eam solummodo quæris ; cum tamen judicandi potestas tibi tradita nequaquam sit, ac proinde negetur à nobis omni merito explodaturque. Loquarne clarius ? In ore tibi semper est, primum principium esse illud unicum : *Quicquid Scriptura dicit esse legem Dei, lex Dei est.* At ridiculus es pluribus modis. Nam, præter istud, habes etiam principium aliud; nempe : *Quicquid à litera Scriptura tibi ostendi evidenter, ut judici dialectico, nequit, id lex Dei non est.* Quod nobis & est falsissimum & probari nunquam, neque è Scripturis neque aliunde, poterit. Deinde, quod principium tuum prius attinet, concedimus nos quidem illud, licet non tanquam nobis itidem primum ; at apud nos, ut proles habet non patrem tantum, sed & matrem, ita syllogismi cujusque conclusio duobus nititur principiis complexis, sive præmissis. Harum itaque majorem tibi admittamus ; ubi vero relinquis minorem, à nobis pariter concessam, ex qua, & majore illa, prodeat contra nos conclusio ? Nimirum, nec habes eam, nec reperies uspiam terrarum. Verbi gratia, sic argumentaris : *Quicquid Scriptura dicit esse legem Dei, lex Dei apud Christianos esse debet. eum vero, qui conjugem, ob ejusdem adulterium dimissa ac superstite, aliam duxerit, non mæchari, Scriptura dicit esse legem Dei, ( præcipientem, ut id credamus, ) nempe Matthæi XIX, 9. Ergo id lex Dei apud Christianos esse debet, ( præcipiens nempe, uti id credamus. )* Concedens autem ego majorem, concedo minorem nequaquam : immo, Scripturam, Matthæi XIX, 9, præcipere uti credamus istuc, negamus pernegamusque, etiam in Arte nova nostra, & Apologetico. Non, inquam, Scriptura dicit id, sed solum cum tuis tu dicis, & quidem tantummodo ut judex, pro imperio ; quemadmodum in Concordia tua Evangelica videre est. Neque, mentem eam esse verborum Christi, quam tu velis, aut ita quoque sensisse Ecclesiam veterem, demonstrabis nobis unquam alicunde ; non, si te ruperis, inquam : heriliter tantum stomachaberis in nos, assensum tibi præbere abnuentes, quia puram putam barbariem id esse interpretantes justissimo judicio. Sicuti autem hîc respondeo, negans principiorum alterum, sive præmissarum posteriorem, quæ conclusionis quasi mater ; ita respondebimus idem illud semper, ubi pari modo majorem illam syllogismis tuis adhibueris. Neque est quod Ecclesia discat è populis aliis, quis genuinus verbi divini scripti

sensus ; cum ipsa potius constituta sit à Christo, ut illos doceat, ubi discere voluerint quidem. Neque te latet, Calixte, nostram hanc esse sententiam immotissimam. Hinc, nescius, quo te veritas, tremis ita, & formidas includere te gyro syllogismi unius, prosyllogismo nullo muniendi. Neque exorcizare tamen ego spiritum in te contumacem desino. hinc ille ita æstuat miser, & è pelvi fulminat ; nempe ut rideatur à nobis tanto magis. At, inquis, in scholis locus esse solet prosyllogismis. At, inquit ego, quid hoc ad Ecclesiam, cui non est animus, largiri tibi, quæ in scholis Opponeat Respondens ut plurimum, quando nempe hoc ipso nec suis rebus, neque civitati cujus membrum est, nocet quidquam aut præjudicat, largitur, & liberrime quidem, licet largitionem semel factam retractare nequeat? Quid, inquam, istud ad Ecclesiam, quæ te indignum censet, cui largiatur libertatis quidquam, ex quo te non geris, ut Opponentem solummodo in scholis, verum ut subditum rebellem hostilemque judicem, ac proinde rigidissimo jure tecum agere decrevit, veluti agimus cum iis, quos citamus, ut, quia læserunt nos lacefferuntve convitiis priores, peragant, quæ præscribuntur in lege *Diffamari* ; non vindictam tamen de te sumere cogitans, verum efficere, in foro saltem dialectico, ut paullatim deprehendas, nullam tibi esse causam solidam, detrectandi obedientiam, Ecclesiæ debitam illic, ubi quæritur, quænam leges Novi Testamenti divinæ sint vel non sint, & sic emendatus, æternum salvus fias, quandoquidem Deum non habet patrem, qui non audit Ecclesiam, ut matrem? E re tua est maxime, quod facimus, mi Calixte. Sed quid ita quiritaris tamen, repudiari à nobis absolute prosyllogismos tuos? Annon dixi sapius, per me licere tibi, syllogismos adferre quam plurimos, è quibus unum ego seligam, atque eo ipso permisi, prosyllogismos una afferres? quorum ego profecto illum seligerem, qui foret ultimus, principiisve nixus, porro demonstrari nesciis. Vel, an desperas, repertum iri abs te principia talia prima, sicuti desperaret *humani simulator finis oris*, in genealogia sua perventurum denique se ad Adamum & Evam, tanquam ad suos parentes primos? Si ita est, desperas de tota causa tua. Sin minus; cur non edis ea in conspectum nostrum sine mora, ut nos convincas eo citius? At intolerabile tamen adhuc est, inquis per tuos, quod iudex ego velim esse



esse de eo, an sim convictus vel minus : relinquendum potius existimas istud iudicium aliis, rem intelligentibus, qui Ecclesiam & Calixtum, quem scis, audierint. At, inquam ego, quid Ecclesiae cum aliis istis, quos nequaquam agnoscit pro suis hic iudicibus, quique inspicere conscientiam nullius Catholici, ibique deprehendere, quid ab illa concedatur vel non concedatur, queunt, cum nemini post Deum nisi ei, cujus est conscientia, illud pateat evidenter? Nimirum, eludere sic velis Ecclesiam, si possis quidem. Atqui dum eludis, quantum in te est, hanc eum in modum, doces artem eludendi seculares etiam Principes quoscunq; quin & patres matresque familias. lubeantur enim rationem reddere, subditus Principi, & filius parenti, cur obedire nolint amplius; & vero excipiant, nolle se id facere, nisi iudiciū relinquatur solis auditoribus; nihil pensi habentes, utrum Principi ac parenti, in id consentire, sit integrum vel non sit. Debitumne suum rebelles isti exsoluerint? Interroga, obsecro, Duces Brunsvigios ac Luneburgicos. Qui, scio, responsum tibi dabunt, quod ego dederō. Quid? Mūtorum scelerum insimulet sycophanta hominem undiquaque honestissimum, & iustus vel unici eum convincere, provocet pari ratione non nisi ad auditores, ut ab eo, qui læsus, pro iudicibus non agitur: an non succumbere tunc necessum sit virum istum innocentissimum, contra autem impune abire nequissimum illum alterum? Dixi, quantum est hoc loco satis, de eo, quod facultatem adferendi per syllogismos, quoties in præmissis tuis negaturi quid simus, liberam tibi permitti postulas. Cui si denegassemus id penitus, nil utique peccassemus, inquam. Respondens enim, si non nisi unam defendere thesin velit, nihil mali facit; licere equidem id ei, apud nos certissimum est. Inde autem in mente nostra sequitur omnino, si nolit ipse audire ex Opponente prosyllogismum ullum, licere hoc ei itidem; præsertim ubi de voluntate hac sua Opponentem antea certiore reddiderit. Quia, si admitteret probationem sive majoris sive minoris præmissæ, hoc ipso, præter thesin cui adversatur objectionis conclusio, defensionem in se susciperet ejus thesios, quæ majori isti aut minori opposita; idemq; etiam amplius contingeret, si probationibus præmissarum prosyllogismi accommodaturus esset aures: cujuscunque enim probationem quis Opponenti permittit, ejus contrarium aut contradi-

ctorium suam hoc ipso thesin facit. nulla autem necessitas eum ad id compellit, cum decrevit solum defendere thesin unicam. non igitur tenetur audire prosyllogismum ullum, si nolit; quemadmodum diximus. adeoque laudem potius, quam vituperium, reportare meretur, ubi id eo animo nolit, ut Opponentem, in casu potissimum nostro, imperiose atque hostiliter agere amantem, ac nil nisi diverticula aut æterna diffidia per prosyllogismos quærere solitum, cogat, ad finiendam litem quam brevissime, cujus litis initium ipse, quia principiorum pertæsus pristinorum sine causa, ac novorum incautissime appetens, dedit.

XVI. Posterius quod attinet, indigne quoque fers, quod negem, debere nos tibi rationem negationis ullius, ubi negemus quid in objectionis tuæ præmissis: idque ais repugnare itidem scholarum scitis, ac nominatim Fonseca ac similibus, in præceptis artis dialecticæ. Audi, sodes. Non debemus tibi probare, cur negemus, ut Respondenti; cum nimirum sis Opponens, nec teneatur Ecclesia fieri Opponens & facere te Respondentem: sed neque ut discipulo, quandoquidem talis esse abnuis, nempe dum & hostem exhibes te, & ad hominem, sive ex mere concessis, convinci vis, tanquam Respondens, seu iudex in tribunali dialectico; quæ partes non tibi sed Ecclesiæ competunt. Tulitne Fonseca legem contrariam? Sane aliquid valeat ea in scholis, quandocunque ibi est accepta quidem: neque enim obligat illic, nisi volentes; quod videlicet neque Fonseca neque Aristoteles aut quisquam alter, imperio suo regio subditos ibi inveniat. Nos vero in schola non sumus, postquam nomine Ecclesiæ te tuique similes in jus vocavimus juxta normam legis *Diffamari*: idque tanto minus lex ea scholastica tua sibi nos devinctos tenet. At reddo tamen interdum rationem negationis. Ita est quidem: sed facio id, quia potestatem habens faciendi plura, quam facere teneor. quid hoc juvat ejusmodi Opponentem? Facio, inquam, seposita Respondentis persona, ut doctor; sed pro iis tantum, qui doceri, ut discipuli, cupiant; non vero pro illis, qui id interpretaturi, ac si faciamus, tanquam vel Opponentes, vel Respondentes, vel eandem, quam nobis, indulgentes libertatem Opponenti; non primum, quia nolumus fieri Opponentes, quamdiu nihil ad id nos adigit; non secundum, quia non tene-mur plures theses defendere, quam proposuimus in ijs, tenere-

mur autem, si, ut Respondentes, rationem negationis ederemus, quippe hoc ipso rationem eam, cum partibus omnibus, thesin esse jubentes; non tertium; quia neque discipuli tui & similium esse cupimus, ob causas expositas, neque Respondentes, ubi conclusionem haud inferatis directe contra thesin, quam defendendam solam sumserimus. Eo enim rigore tecum rectissime agitur, dum heriliter quidem hostiliterque matrem tuam & reginam, Regis Christi sponsam optimam sanctissimamque, tractare pergis.

XVII. Audivimus, magnam partem, cur Calixtus leges disputandi aversetur, quas observare, nostro judicio, debet. Sed & una perspeximus, hærere hominem in luto, ignarissimum eorum, quæ sunt alphabetum in regulis, mentis nostræ ratiocinia dirigentibus. Et minatur tamen, vultu torvissimo, *foricina nemina confosiores redditum iri* ab sese leges illas, ubi comperiat, non improbari nostris Academicis. Non dicam, audiri nos ante potuisse, quam ita decerneret: neque enim eo usque descendere cupit, aut Christiano animo sectari nobiscum compendia ad concordiam, sed solum dominari nobis, &, quasi ferula, plagas infligere, ac si foremus notorie malefici, ab ipso puniendi; dictitans identidem nos *delivos, dementes, insanos, furiosos*, & sic sine fine deinceps; (an fortassis, ut audiat à non nemine Ecclesiasticæ illud: *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat?*) Miror solummodo, quod, in honorem Nihusii sui, personam induere amet vilissimi servi Chrysalis, (quippe cujus ligneum isthoc dicitur in Plauti Bacchide.) Siccine vero oportebat abjicere sese eum, qui *primarius maximusque theologus & incomparabilis vir* dici avet! Estne illud è dignitate Academiæ Helmeftetensis! O tempora! ô mores!

XVIII. Verum, ut summatim complectamur, quæ scriptimus fufuscule; frivola cavillatio magis est Calixti, quam exceptio; quia maledicus prior fuerim, & iniquas disputandi conditiones protulerim, ideo indignum esse me, cui quidquam probet. Et tamen, sicuti festina manu, ita vix obiter ac perfunctorie refutavi utrumque istud hætenus. Væ homini ergo, ubi robur meum omne exserere aggressus fuero. Quod ideo moneo, ne quis putet, explicari ac defendi nostra non posse pluribus quam hic loci factum à nobis est. Et quid magni Calixtum tacerem;

cerem, qui vox est, prætereaque nihil, ac tanto minus fit à nobis, quanto spernit semper fastuosius insolentiusque Catholicos, ipsamque adeo Ecclesiam ?

XIX. Interim, ut res tota exemplo, in quod initio incidebamus, non nihil evadat manifestior, probet ipse, non mihi sed Ecclesiæ, non fidei suæ dogma Lutheranum quodpiam, sed solum, quod affirmat, fuisse Romæ Papißam. Negamus enim, esse id historiam ecclesiasticam ; ut supra monuimus, hinc monituri denuo, quia negotium prosequuturi fortius. Demonstrat, inquam, testatos ea de re, quos pro sese adducit, Marianum Scotum, Sigebertum Gemblacensem, & Martinum Polonum. Habentne igitur eorum autographa, & scit revera, esse autographa, aut apographa authentica, eo modo, qui in iure sufficiat ? Actionem enim injuriarum contra ipsum instituimus, ac proinde nequaquam, disputando mere scholastice, *Ludimus effigiem belli, simulataque veris Prælia*. Hinc aqua pendet meo Calixto : magis mutus est quam piscis. Consensu ergo populorum hucusque perpetuo manifestum reddit sibi ac nobis, tres illos istuc scriptum reliquisse ? Non profecto sibi ; ut qui negat creberrime contra Catholicos, quæ viva solum voce sic transmissa ad posteros, de iis firmiter certos hos esse posse. Sed neque nobis ; ut qui non solum de consensu eo nihil inandivimus, tamen ætate superantes cœtum Lutheranorum, sed & oculis nostratium deprehendimus ex omnium, quos constat repertos hæctenus, vetustissimis codicibus, nullam prorsus Papißæ mentionem à tribus illis esse factam. Victa igitur concidit Calixti causa, reusque ipse permanet calumniæ in Sedem Apostolicam ; eamque calumniam retractare debet, ac de injuria satisfacere ; tanto minus veniam ullam promeritus, quanto magis nostri antea, negotio diligenter excusso, veritatem toti mundo palam fecerant.

XX. Novimus ingenium hominis. Quid si, inquiet, nihilo minus verum sit, fuisse Romæ Ioannam Papißam ? Respondeo. Nihilo minus Calixtus calumniatus fuerit ; quia probare non potuit, esse id verum. At, perget, Catholici proclamant me calumniatorem ; injuria hæc est gravissima : probent ergo, & mihi quidem, fabulam esse, quam ego assero esse historiam. Respondeo. Non tenemur è reis actores fieri : sufficit nobis, Calixtum, qui prior nos læserat, in probando defecisse. *Vel an*  
dissa-

diffamator, posteaquam fuerit legitime condemnatus, caput rursus erigens triumphabit, si diffamatus non demonstratam tunc dederit suam innocentiam? Attamen, inquit, Ioannes Stalenus Catholicus & affirmat, de Papissa illud esse fabulam, &, teneri se ad probandum id, fatetur verbis hisce ipsissimis: *Quod ante me gestum dicitur, & maxime ante aliquot secula, ut plenam cum auctoritate fidem ejus faciam, necesse est, ex fide dignis historicis, qui circa illud tempus floruerunt, vel fide dignis instrumentis, id asserere: alioqui crebri mei figmentum habebitur, si nunc quid prodam gestum, quod omnes ante me tacent; maxime, si non defuerint, qui accurate res gestas illorum temporum prosequuti fuerint.* idque ipsum Staleni opusculum scitu atque consensu Censoris Colonienfis approbatum est. quocirca demonstrent Catholici, esse fabulam; aut calumniati fuerint ipsi nos; adeoque verum tunc erit, esse historiam. Mi Calixte, non terremur ejuscemodi vitiligationibus. Audi, si vis. Præterquam quod, ut supra intellexisti, grandis error tuus nimisque turpis est, Censorem id omne facere suum, quod edi in lucem ipse concedit; perinde atque crassissime insuper errant, qui, quicquid sic approbavit Censor, doctrinam ipsiusmet Ecclesiæ Catholicæ esse, clamitant; Stalenus legem eam sibi fixerit, sponte sua sive doctorem adversariorum acturus, sive etiam Opponentem; unde nec dixerit, *alioqui crebri mei figmentum erit, sed, habebitur*, ab iis nimirum, contra quos scribebat, putans, quantum apparet, flagitatuos, utut absque necessitate, probationem ejusmodi: quo in casu probare teneatur; ita tamen ut observet accurate, ne Opponentem agat, ubi solum subierit onus docentis aut consilarii. Quid vero hoc ad nos, qui lege ea aliena ac privata nos obstrictos negamus? Immo sæpius nostri supererogationis opus istud operantur, indeque adeo Gordonus Huntlæus, controversiæ octavæ capite tertio, *nostra dogmata probanda esse ait, ubi aliquid asserimus, quod adversarii negant: An hoc ipso efficiunt, ut & nos probare teneamur eodem pacto, cum nolumus?* Absit, aliter sapere didicimus. Nec responsum meretur, qui cavillaturus sit, injuriam esse, cum antagonista, in probando succumbens, vocetur calumniator, vel quoque verum tunc fore, quod fuerit Ioanna Papissa. Apage cum nugis agrestibus istis barbarisque.

XXI. Et probare tamen, à Lutheranis aliis discendi quidem ergo

ergo rogati, & poterimus & volemus lubentes, esse fabulam. Unde autem? Ex iisdem illis, quæ legere est apud Stalenum, virum insigniter bonum ac diligentem, libelli de Papissa tractatu secundo. Cæterum necdum Stalenus, cum scriberet, licet id factum anno *CIO IO C XXXIX*, viderat Græcorum testimonia, valde clara atque egregia, è membranis vetustis manu scriptis eruta Romæ, ante annum *CIO IO C XXX*, ab Leone Allatio. Quod nec mirum; cum Germani, bellis impliciti, libris ex Italia pridem nullis potiantur. Sicuti neque ego nossem scriptum Allatianum istud vere aureum, nisi designatum reperissem in Dionysii Petavii Rationario temporum, ac longe post demum conspexissem forte fortuna in Belgio apud amicam, cui ab auctore ipso ex Vrbe dono missum fuerat. Qua occasione tunc percontabar ex Allatio, placeretne, edi per me in hisce regionibus, ubi usui futurum esset sine dubio maxime. Atque ecce, non assensit solum è vestigio, sed &, juxta cum epistolica dissertatione de Liturgia prælanctificatorum, exemplar ad me perferri curavit, unde typis describi pro nostratibus posset. Quod ipsum eapropter sequutus hîc fui.

XXII. Sed quisnam ergo iste Leo Allatius? Pandam brevibus. Est natione Græcus, Romæ degens à multis annis, ac Theologus, de profundissima omnis generis eruditione, amatissimus ibidem summatibus honoratissimusque, quin & alibi terrarum celeberrimus; adeoque non solum à Volrado Plessio in Ajace, Balthasare Venatore in Gruteri laudibus, Daniele Paræo in historia Palatina, similibusque, memoratus; verum insuper elogiis præclarissimis ornatus, tum à Petro Aloysio Caraffa, & Fabio Chisio, (qui duo, dignitatis ac sapientiæ virtutumque omnium splendore, præcipui,) tum ab aliis viris magnis, Andrea Bajano, Michaële Ghislerio, Andrea Argolo, Andrea Victorello, Gabriele Naudæo, Petro Casello, Theophilo Raynaudo, Michaële Ioanne Vimbodino, Iacobo Philippo Camola, Iacobo Philippo Tomasino, Ioanne Rhodio, Dionysio Petavio, Ioanne Bollando, Iano Nicio Erythræo, Laurentio Pignorio, Iosepho Maria Suaresio, Antonio Bruno, Flavio Flisco, Nicolao Villano, Martino Sandello, Ioanne Thuillio, Ioanne Baptista Passero, Fortunato Liceto, Francisco Molino, Bartholomæo Vecchio, Antonio Caracciolo, Francisco Marino, Gaspare de Simeonibus,

bus, Io. Argolo, Sylvestro Petrasancta, Caspare Geuartio, Petro Gassendo, Bartholomæo Tortoletto, Matthæo Radero, Gothardo Vœgelino, Helia Heingero, Renato Moræo, Ioanne Bourdellotio, Ioanne Morino, Iacobo Gaddio, Paulo Zacchia, Iosepho Bua, Sebastiano Petrasitta, Stephano Baldo, Marco Aurelio Severino, Antonio Ponze Sancta Cruz, Io. Iac. Buccardo, Iusto Riccardo, Neophyto Rhodino Cyprio, Petro Lafaina, Baldo Baldo, Petro Servio, Antonio Francisco Tacchino, Paganino Gaudentio, Nicolao Baucto, Ferdinando Vghello, Io. Rho, Floravante Martinello, Nicolao Pinello, Hieronymo Tetio, Augustino Mascardo, Io. Baptista Carolo, Antonio Caracciolo, Io. Bapr. Basilio, Carolo Galistono, Toldo Constantino, Dominico Gilberto, Lælio Guiccidonio, Iano Perefio, Frederico Vbaldino, Guilelmo Colleteto, Io. Philippo Camola, Balthasare Bonifacio, Francisco Marino, Bartholomæo Sanguinaccio, Alexandro Rainaldo, Melchiore Incofero, Luca Holstenio, Auberto Miræo, Io. Francisco Slingelantio, Gerardo Ioanne Voffio, Frederico Gronovio, & innumeris præterea. Quæ elogia, si colligantur, ingens volumen efficiant. Sed, quia suamet luce sat superque ipse radiat Allatius, malim legantur libri, quos composuit quam plurimos, licet ætate non superans me, verum æquans tantum, ut ipse ad me scripsit. Catalogum eorum ingentem, tametsi necdum allatum nobis integrum, damus in vestibulo epistolarum de templis Græcorum recentioribus & Narthece Ecclesiæ veteris; quarum lucubrationum nos, pro liberalitate sua mirifica, dignatus est reddere participes.

XXIII. Tibi interim, Celussime Princeps, tuisve consiliariis ac subditis, vel Confessioni quoque Augustanæ deditis omnibus, consideranda do, quo par est affectu animi Christianissimo, seu concordie salutisque generis humani totius desiderantissimo, quæ contra fabulam nimis putidam differit vir ingens ille optimusque. Qui &, cum Catholicis omnibus, certissimus sum, quicquid præterea contra Ecclesiam nostram & fidem pronuntiatur à Calixto, Horneio, & ejusdem generis reliquis, perinde falsum esse, neque è Scripturis divinis, aut Christianorum antiquorum testimoniis, evictum iri unquam, etiamsi utantur ope nostrorum hostium, quotquot in toto mundo reperire fuerit, omnium; multo minus autem comprobatum iri, aut con-

proba-

probatum unquam fuisse, miraculo quopiam divino; quod tamen esse necessarium, ubi subditus, jussu Numinis in religionis negotio deficiens à superioribus, convincere hos è concessis nequit, constat apertissime. Vnde miseret me ipsorum illorum vestrarium, ita sibi suisque adulantium, & monita nostra, qui ab omni parte bene eis volumus, fidissima aspernantium, ex quo *putant, se esse aliquid, cum nihil sint,* frustra inclamante Salomone: *Ne sis sapiens apud te met ipsum;* frustra intonante idem Apostolo, & jaculante fulmen hoc: *Nolite errare; Deus non irridetur.* Sed missos jam illos faciamus. Deus Celsitudinem tuam, (quæ, scio, libenter audit Catholicos, rem ipsam proloquentes, quam sincerissime fidelissimeque,) cum sibi addictis & amatis universis ac singulis, æternum beet. Dabam **V I I** Februar. **C I O I O C X L V.**

LEONIS



LEONIS ALLATII

## CONFUTATIO

FABULÆ

DE

IOANNA PAPISSA,

Ex Monumentis Græcis.

## SYNOPSIS.

*Ingressus in descriptionem huius opusculi; I. Non memorant hanc fabulam Latini, qui adduci maxime solent contra Catholicos; II. Non Marianus Scotus; III. Non Sigebertus Gemblacensis; IV. Non Martinus Polonus; V, VI, VII, VIII, IX, X. Refellunt Græci; Photius; XI, XII. Metrophanes Smyrnæus; XIII. Stylianus, cum aliis plurimis; XIV, XV, XVI. Constantinopolitana Ecclesia, XVII, XVIII, XIX, XX, XXI. Imp. Michael tertius; XXII, XXIII, XXIV. Imperator Michael alter, & Leo Achridanus; XXV. Anonymi quatuor; XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI. Nec officit Barlaam; XXXII, XXXIII. Tacent Schismatici Græci alij; XXXIV, XXXV. Refellunt & Latini, seculo nono, decimo, undecimo, duodecimo; XXXVI, XXXVII. Latini alij, qui memorant, nil asseverant; XXXVIII. Contra fabulam scriptores nuperi; XXXIX, XL.*

I.



Ejacitante nobis Ioannam Papißam fabula, vere fabula, & hæreticorum impostura, plures ex recentioribus, nonnulla, levia illa quidem & incompta & ab omni verisimilitudine aliena, titubantium in morem, tradiderunt. Hi nullum ad hoc pondus habent, cum

c

nec

nec auctoritatem habeant, quam vel natura vel tempus affert. De hæreticorum nugis non laboro : ad fidem quippe faciendam, minime ab homine nobis infenso testimonium sumendum est : &, ea qua construuntur facilitate, eorum mendacia destructa corrunt.

II. Si qui sunt, qui veterum testimonio nugas hæc probare nituntur, ad Marianum Scotum, Sigebertum Gemblacensem, ac Martinum Polonum, tamquam hujus rei assertores, se referunt; sed inani conatu. nusquam enim auctores hi tale figmentum, quod ne somniarunt quidem, scripserunt; etsi hostium fraude in eorum historia innexum deprehendatur.

III. De Mariano Scoto, vide Notatorem in Metropoli Krantzii lib. II, pag. c, edit. Colon. anno MDLXXIV; etsi notam illam typographi Francofurtenses eraserint; Miræum in Chron. Sigeberti; Nicolaum Serarium in Moguntiacis; Florimundum; & alios. Nec leve est argumentum, nullum ex fabellæ hujus assertoribus post Marianum, in suæ sententiæ patrocinium, illum laudasse.

IV. De Sigeberto vide eundem Miræum ibidem, Ioannem Molanum, Alanum Copum, Dialog. I, cap. VII, Suffridum Petrum, Annotat. in Chron. Martini Poloni. Non levis est pro nobis conjectura, Vincentium Bellovacensem, Spec. histor. lib. XXV, cap. XXXVI, & Gulielmum Nangiacum in Chron. qui Sigebertum, in historia præsertim horum temporum, de verbo ad verbum bona fide descripserunt, Ioannæ Papißæ neque per somnium meminisse.

V. Vnus omnium reliquus erat Martinus Polonus, solus commenti hujusce auctor: ideoque à pluribus scriptoribus male habitus; etsi immerito. Chronicum ejus ab aliis pessime corruptum fuisse olim, deprehenderat Suffridus Petrus; ideoque fide M. S. codicum emendatum, in melioremque formam, ut ipse asserit, redactū, edi curavit Antwerp. apud Plantin. MDLXXXIV. Verum Ioannem Papißam in ejus historiam ab aliis intertextam fuisse, ope illorum codicum, vel aliorum, nusquam deprehenderat; quare, nihilo immutato, fabellam hanc, ut erat, publicavit: notavit tamen, codices M. S. quod & verissimum est, neque excusos omnes neque singulos inter se congruere, & in codice Tongerloënsi M. S. nec numerum nec nomen haberi in catalogo

talogo Pontificum, sed Leoni præcedenti historiam ejus, veluti fabulamentum, appendicis loco adjectam.

VI. Exemit dubitationē omnem Urbanus VIII Pont. Max. cujus nutu & auspicio, omnia sibi felicia faustaque univèrsus terrarum orbis sentit. quippe illo auspice, prudentiæ radio omnia collustrante, res humanas divinasque rectissime regi cernimus; pleraque etiam, temporis vitio vel fraude hominum absumpta, occultaq; in apertum venire. Quod multis aliis manifestum sit; sed eo præcipue, quod, dum impostores insolentissimi libellum de hac fabula in Christianorum perniciem lingua Italica editum publicant, tres auctores, sub felici tanti Principis auspicio, longo terrarum tractu distracti, dispersique in varias partes, per tot secula in tenebris latebrisq; latitantes, lucem aspiciunt uno eodemque tempore, ut ita dicam, Romæ; quibus potissimum hæc hæreticorum fraus detegitur, imposturaque disploditur; Martinus Polonus scilicet, Photius Patriarcha Constantinopolitanus, inter libros ab Episcopo Lollino Summo Pontifici legatos; & Metrophanes Smyrnæus, una cum bibliotheca Palatina Romam advectus: qui in bibliotheca Pontificia antea minime reperiebantur. Isti tres ex composito in dictum commentum veluti conspirantes, & Urbano Pontifici vivo ore applaudentes, Vaticanum ascendunt, hæreticorum deliria jugulaturi.

VII. Urbanus itaq; bibliothecæ Vaticanæ, quam antea multis peregrinorum auctorum manuscriptis codicibus, iisque vetustissimis optimæq; notæ, auxerat, codicem Martiniani Chronici asservandum dederat. Erat ille antiquissimus omnium, qui in dicta Bibliotheca antea erant, caractere non ineleganti, multis tamen in locis, propter vetustatem, visum fugiente. In eo historiæ Pontificum dextra, læva Imperatorum, ita interstinctæ legebantur, ut, quid quoq; anno Pontifices, quid Imperatores, quid exteri egissent, unico aspectu poneretur ob oculos. Post præfationem, à Natali Christi ad sua usque tempora historiam profequitur. In eo nihil de quatuor majoribus regnis, Urbis Romanæ exordio; nihil de Urbis portis, plateis, templis, regimine, aliisque fabulamentis, quibus Chronicon illud male audit, pessumque dederat auctoris nomen: sed omnia plana, & recta.

VIII. Ex quo manifestum est, Chronica, quæ sub Martini nomine, vel typis vel scripto circumferuntur, ab integritatis suæ

gradu, aliorum imperitia vel negligentia, utinam non malevolentia, deturbata fuisse. Vnusquisque enim, quæ ipse digna memoria judicabat, addidit, eralitque quæ sibi indigna lectu videbantur.

IX. In integerrimo itaque hoc exemplari, post vitam Leonis IV, nulla fit Ioannæ Papiſſæ mentio; neque ex fama aliorum, neque in margine, eadem vel aliena manu, scripta. Et, si totum perlegeris, nullum de hac re verbum invenies, neque aliorum industria quidquam erasum; quod è serie rerum, & pagellæ tractu, clarissimum est; cum Leonis vita in una pagina non finiatur, sed alterius sequentis superiorem partem occupet: post quam immediate Benedictus tertius, patria Romanus, sequitur, & deinceps Nicolaus primus. E quibus jam evidens est, totum hoc ab inimicis Martiniano Chronico fuisse innexum; tantique codicis ope, levi suffultum patrocínio mendacium cadere, quod non Martinum, sed alios veteratores, quorum nulla fides esse debet, agnoscit.

X. Perpende, lector, silentium illius temporis scriptorum, qui de commento hoc ne verbum quidem: quod nusquam tacuissent; quin, ni pudor & rerum humanarum reverentia continuisset, audacter impudenterque fuissent amplexati, quando illos non puduit, atrociora in Romanam Ecclesiam machinari, prodigiosioribusque mendaciis conlatis palam mentiri.

XI. Photius Patriarcha C. P. mortalium omnium scelestissimus, uno verbo ἐλέγξας τὸν ζῶντων, turbat eodem illo tempore, quo Ioannes iste Anglicus fingitur, totam orientis oram, atque, ad defectionem contra Romanos Pontifices, omnes compellit; quod ut assequatur facilius, & ore & calamo, factisque etiam immanissimis, in eos, non mendacia, sed prodigia tentat. Is dum lib. 1 de Spiritus Sancti processione adversus Latinos agit, cujus illud est principium, *Ἐν πολλοῖς μὲν εἰσιν οἱ ἐλέγχοι πολυτρόχοις ἑσπερ- μῆοι λόγοις, δι' ὧν ἡ ἐφ' ἑρῆς κατὰ πᾶν τὴν πλὴν αἰλήθῃαν ἐν αἰδικίᾳ κατὰ τὴν*: Pontifices Romanos, illo tempore, quo ipse vivebat, Romanam Ecclesiam regentes, enumerans, non sine maximo eorum sanctitatis, prudentiæ, doctrinæque elogio, ad quod, velut aspis, licet invitatus, vi trahitur veritatis, quod libens, odio in illam Sedem, obticuisse, nullam inter eos huiusce mulieris, quæ Papatum ambierit, facit mentionem, sed disertissimis verbis

Leoni

Leoni quarto Benedictum III subdit; *cujus successores Ioannem & Hadrianum fatetur. En illius verba; Χθες καὶ ἔπω δότι οὐ γενεὰ παρήλθεν, λέων ἐκείνῳ ὁ ἀελώνυμῳ, ὁ καὶ θάυμασιν ἔχων ἐστὶν ἕτῳ ἐνσεμνύνεσθαι, πῶσιν ἀπάντων ἐκρότων ἀρέφασιν αἰρέλικῶ. Henri, & nondum secunda generatio prateriit, nobilis ille Leo, qui & miraculis editis potest gloriari, omnem omnium excidens praeextum haereticorum. Et infra: Ἀλλὰ ἔο παρῶν, καὶ Ἰπρίκης, καὶ ἀσκητικῶς ἀγῶσιν ἐναυλαίζοντο ὁ κληνὸς Βενέδικτῶ, ὁ μετ' ἐκείνον [τ' Λέωνῶ] νότα verba, ἃ δέχεται Ἰβάνη ἀφ' ἑαυτοῦ, τὸ αὐτὸ ἔστέρην, καὶ κατωφύειν, ἔτι τῶ δότι οὐ τὰξιν ἔχον, εἰ ἔδοτερόν αὐτὸν ὁ χροῖον ἰστέτηεν. Sed & mistis, & mansuetis, & asceticis certaminibus illustris inclutus Benedictus, post eum (Leonem) in Archiepiscopico throno successor, hoc idem & amplectendo & confirmando haud secundus esse nitebatur, licet tempore secundus esset. His addit in Nicolaum Pontificem, Benedicti successorem, etsi tacito nomine, jurgia: postremo Ioannis, & Hadriani meminit. Quis crederet, procacissimum hominem, vel levissimæ suspicioni obnoxium, hæc tacuisse? quem in ipsis etiam Pontificum penetralibus venales habuisset delatores, qui de omnibus illum certiore redderent, verisimile est. Medius potius dirumpi miser maluisset, quam nœniam hanc, ita Pontificum gloriæ perniciosam, tacere.*

XII. Et hoc Photio, turbulento homini, majorum negotiorum pondere vexato, quasi incauto, quod tamen re aliter se habebat, semel excidit? Perpetua est illi, & semper una, quam supra posuit, Pontificum Romanorum series; & Leoni Benedictus successit. In tractatu enim contra Latinos, Spiritum Sanctum tantum à Patre procedere, non item ex Filio, cujus ille est titularis, Κατὰ τὸ παλαιᾶς Ρώμης, ὅτι ἐκ τῆ πατρὸς μόνον ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἔτι ἔκ τῆ υἱῆ, hæc habet. λέων ἦ, καὶ Βενέδικτῶ, οἱ μεγάλοι Ρώμης ἐς ὕστερον δέχονται ἐκκλησιᾶ καὶ τῶ ἱερὰν μυστηριώδη, ἐκφωτῶσθαι τὸ σύμβολον τῆ πίστεως ἐν τῇ Ρώμῃ, καὶ τῇ ἄλλαις ἐπ' αὐτῶ ἐκκλησίαις ἐνομοθέτησιν. Leo & Benedictus, μαθὶ δεinceps Romanæ Ecclesiæ Antistites, Græce inter sacra Missarum solemniam, Romæ, aliisque Ecclesiis Romæ subiectis, fidei Symbolum recitari, lege lata, sanxerunt.

XIII. Metrophanes Smyrnæus, alius tunc eodem tempore Romanæ sedis impugnator, Pontificum sui temporis catalogum, libro quem de Spiritus Sancti divinitate, ejusque ex solo Patre

processione conscripsit, conficiens, Benedictum immediatum Leonis successorem agnoscit. Βενέδικτι Ⓞ ὁ μάλ' ἐμείνον, Leonem, & ἄρχιεργλικῆ Ἰρὸνυς ΔιάδοχⓄ. Benedicti successores, Nicolaum, Hadrianum, Ioannem commemorat: de Ioanne Papa foemina ne verbum quidem; quod, vel levissimo rumore percepto, fecisset. Ex horum dictis satis patent optimi tunc in Ecclesia Pontificum mores, Christiana prudentia, religio immaculata, vitæ ratio integra, ab hostibus etiam prædicata.

XIV. Iisdem cum Photio & Metrophane temporibus, pius, & veritatis Catholicæ tunc, cum hæc scribebat, contra Photianos assertor, Stylianus, Neocæsariæ Euphratesinæ Provinciæ Episcopus, epistola, quam una cum Episcopis, qui cum eo erant, reliquisque Presbyteris, Diaconis Ecclesiæ Constantinopolitanae, omnibusq; ad orientem & occidentem Cœnobiorum Præfectis, Presbyteris, Monachis, & Anachoretis, ad Stephanum Papam miserat, in qua fraudes, dolosque Gregorii Syracusani, Petri Sardorum, Eulampii Apameæ Episcoporum, aliorumque factionis Photianæ, prosequitur; Benedictum Leonis successorem agnoscit. Τελειωθέντι Ⓞ ἡ, inquit, ἑμακαρωσῶντι Πάπῳ Λέοντι Ⓞ, ἐμείνοι τῷ μάλ' αὐτὸν Βενεδίκτιω τῷ Ρώμης Πάπῳ πάλιν δι' ὄχλη γεγονάσιν ἐπὶ τῷ αὐτῶν. αἰτ' ὁ ἀγνώταί Ⓞ Βενεδίκτιω ἀκρωσῶς ἢ αὐτὸς ἐξ ἐξουσίας τῷ πᾶσιμα τῶν κατ' αὐτῶν κείσιν Ἰγνατίω ἐκύρωσεν. Leone inde beatissimo Pontifice ex humanis sublato, illi, (loquitur de Gregorio Syracusano, & sociis, primum ab Ignatio Byzantii, secundò Romæ à Leone, quidquid alii dicant, excommunicatis, exautoratisque,) rursus Benedicto Pontifici Romano, qui Leoni successit, de iisdem rebus molesti fuerunt. verum sanctissimus Benedictus, re diligenter examinata, sententiam adversus illos, ut Ignatius illam tulerat, pronunciauit.

XV. Ad optimam præclaramque prædam hic veluti cumulus accedit, non unus hic auctor, vel alter, vel tertius, μερμηκιάπις ἀναριθμητῶ, ἢ ἄμετετῶ. Stylianus ipse est, cæterique omnes consortes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, orientis & occidentis Cœnobiorum Præsides, Monachi, Anachoretæ, numerus prope innumerus; qui scribunt iisdem illis temporibus, quibus fabula fingitur. Audi ipsum Stylianum; ἐγὼ ἡ καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ Ἐπίσκοποι, Πρεσβύτεροι, ἢ Διάκονοι, ἢ πέντες οἱ κατ' αὐτῶν Δύσιν ἢ ἑὼς Ἡγέμενοι, Μοναχοίτε, ἢ Ἰουχασι, πληθῶ Ⓞ σὺν ἀριθμητῶν. Tot homines in re

re apertissima, si fuisset, palam mentiri, tot oculi in meridie non videre, tot ora, tantum scelus, fama que jam divulgatum, conticescere nequitquam potuissent. Paucis multa imposueris; rem aliter ac gesta sit, sed paucis, obtrudes: at, multis te probando, multos ut fallas, fieri omnino nequit. Non omnes æqua ratione & animum vincere, & iracundiam cohibere, aut affectus suos moderari possunt, ut simili studio ad omnia incendantur; præfertim si libertas omnia agendi dicende sit.

XVI. Audvimus Stylianum, pietatis & veritatis amatorem: eundem audiamus & hostem. Fortasse enim antea, amicis adularis, laudes exposuit, opprobria conticuit. Septimo post anno à data epistola, stolide per amicos & cognatos inflatus, relicto veritatis tramite, in contraria versus dogmata, cum Photianis societatem inuit, & Romanæ Ecclesiæ oblatravit. Non habuit quod illi objiceret, præter inconstantiam doctrinæ, sententiarumque pugnantiam. Scribit enim, Stephanum Papam, in eadem re & epistola, contraria scripsisse; ut qui in prima epistolæ parte, jure Photium ejectum; in postrema, eundem pro legitimo Antistite habendum, affirmet. Vir iste, satis petulans, nusquam fabellam istam de Ioanna, si fuisset, occultasset. Illà quippe audacius suas partes potuisset tutari.

XVII. Quid plura? Constantinopolitana Ecclesia, illo ipso fere tempore, primo Formosi anno, post annos triginta tres, non privatim, sed publice, & in triviis, ut ita dicam, solemni inscriptione omnibus testatum facit, nullum alium post Leonem, nisi Benedictum, in illo throno sedisse. Quippe in Embolo, seu porticu magnæ Ecclesiæ, literis omnibus patentibus, dum **VI I I** Oecum. Synodi breviarium affigit, hæc etiam aliis testata voluit: *ὁ ὁ Πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος ἡ Γρηγόριον ἀνεθεματίζον. Pontifex namque Leo, & Benedictus, & Nicolaus Gregorium anathemate damnabant.* Et: *μέχρι τῆσήμερον πασαρχικῶς πέντε ἔτη ἀναθεματίζετο Φώπτος πρεσβήτως ἀπὸ τοῦ Πάπα Λέοντος ἕως τοῦ Φορμόσου. ἐνδεκα ὁ ἔτη ἀνεθεματίζετο κρισμικῶς ὡν, ὡς κρισωνὸς τῶ καθηρημέλιω, καὶ ἀναθεματισμέλιω Γρηγορίου τῶ Συρακῆσις, καὶ ἄλλα δ' αἰφ' ὧ ἐγένετο ἀββῆς. ὁ ὁ Πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος ἡ Γρηγόριον ἀνεθεματίζον καὶ πῶτας τὰς ἀπόπας αἰτίας. ἐπειδὴ ὁ Φώπτος πρεσβὴς ἡ καθηρημέλιω ἐχρήροτηθη, καὶ δι' ἄλλα μὲν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ δέξασθαι πῶτας τοῖς τῶ ἱεροσουλῶ ἀναθεματίζετο ἑνεία πρεσβέρων τῶ*

Ρώμης, Λέοντι, Βενεδίκτῳ, Νικολάῳ, Ἀδριανῷ, Ἰωάννῳ, Μαρτίνῳ, Ἀδριανῷ ἐτέρῳ, καὶ Φορμόσῳ. Photius quadraginta quinque annis, ad hodiernum usque diem, palam anathemate feritur à Leone Papa, usque ad Formosum. Nam annos undecim anathematizatur secularis & laicus, tamquam qui cum Gregorio Syracusano exauctorato anathematizatioque communicaret, & alios triginta quatuor, postquam sacris initiatus est. Etenim Leo Pontifex, & Benediktus, & Nicolaus, Gregorium propter varias causas anathemate damnabant. Vbi vero Photius à damnato consecratus est, cum propter alia ipsius facinora, tum quod sacris à Gregorio esset initiatus, anathematizatur à novem Romanis Pontificibus, Leone, Benedikto, Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, & Formoso.

XVIII. Nota, lector, tempus, quando hæc scribuntur; Formosi scilicet anno primo, μέχρι τῆς σήμερον, ad hodiernum usque diem. Et infra: σὺ ἀναθεματιζέμενος ἀκελεύως πατρῶν μέχρι ἐνῶ. Anathematizatos à Patribus ad hunc usque diem; trigesimo sexto anno post dictam fabulam. secundò, inter horum annorum numerum non contineri annos illos, quos tribunt dictæ Ioannæ. quos, si clarissime demonstravero, omnino non esse, certum erit argumentum, nec Ioannam; quæ illis annis dicitur vixisse, fuisse; quos si reliquis Romanorum Pontificum addas, anni excommunicationis Photii non erunt quadraginta quinque; sed quadraginta septem, & amplius. ut auctor vult hoc loco, & infra, σὺ μὴ λυθέντες ἐν ὅλοις πεσασσέντων πέντε χρόνοις, non absolutos per omnes quadraginta quinque annos. Hoc assequendi illa erit ratio certissima. Primo Leonis anno, Methodio Patriarchæ succedit Ignatius. Is, in Patriarcham consecrandus; ne initiationi suæ interesset Gregorius, de maleficiis reus factus, aliò mandat. Interea per otium causa ipsius diligenter cognita, exauctorat ipsum, unaq; cum eo asseclas & familiares, & inter eos præcipuum Photium, laicum. Anno primo Nicolai, Ignatio à sede deturbato subrogatur Photius, ad illa usque tempora laicus, spatio sex dierum initiatus, & consecratus Patriarcha per Gregorium excommunicatum; & movet turbas in Ecclesia. Quare ita mensurandi sunt hi anni. A primo Leonis, ad primum Nicolai, annos undecim tantum fuisse, expresse docet illius temporis verissimus scriptor Nicetas in vita Ignatii. Undecim igitur ipsis annis Ignatius ab occupata primum Sede Constantinopolitana omni

tatione



*ratione conatus, &c.* A primo Nicolai ad Formosum reliqui triginta quatuor numerantur; si duos annos, & menses Papissæ addes, alius erit numerus locupletior excommunicationis Photii, sed mendax, & impudens, & præter rationem temporum. Quod ut ictu oculi assequi possis, en tabulam annorum Christi, annis Pontificum respondentem.

DCCCXLVII	Leonis I.	Methodio succedit Ignatius.
DCCCXLVIII	II.	
DCCCXLIX	III.	
DCCCL	IV.	
DCCCLI	V.	
DCCCLII	VI.	
DCCCLIII	VII.	
DCCCLIV	VIII.	Ignatius, Synodo C. P. celebrata, excommunicavit Gregorium Syracusanum. Eius condemnatio, audito Ignatio, confirmatur à Leone. Styl.
		Leo moritur xvi Kal. Augusti. post xv dies eligitur Benedictus.
DCCCLV	IX. qui Benedictus. I.	Gregorius ad Benedictum confugit, tamquam injuria lacessitus ab Ignatio, & Benedictus confirmat ejus damnationem. Styl.
DCCCLVI	Bened. II.	
DCCCLVII	III.	In enumeratione annorum Benedicti, mirum, ut Fancius ineptiar.
DCCCLVIII	Nicol. I.	Ignatius à Sede deturbatur; subrogatur Photius, ad illum usque diem laicus.
DCCCLIX	II.	
DCCCLX	III.	Barda scholas aperit Byzantii.
DCCCLXI	IV.	Ignatius revocatus injuste à Conciliabulo Photiano, damnatur.

DCCCLXI	V.	
DCCCLXII	VI.	Photius Romæ à Nicolao anathemate obstringitur.
DCCCLXIII	VII.	
DCCCLXIV	VIII.	
DCCCLXV	IX.	Bardas occiditur à Michaelē.
DCCCLXVI	X.	Pulso Photio à Basilio Ignatius restituitur.
DCCCLXVII		Hadriani I.
DCCCLXVIII	II.	
DCCCLXIX	III.	
DCCCLXX	IV.	
DCCCLXXI	V.	
DCCCLXXII	I.	Ioannis
DCCCLXXIII	II.	
DCCCLXXIV	III.	
DCCCLXXV	IV.	
DCCCLXXVI	V.	
DCCCLXXVII	VI.	
DCCCLXXVIII	VII.	
DCCCLXXIX	VIII.	
DCCCLXXX	IX.	
DCCCLXXXI	X.	
DCCCLXXXII	I.	Marini
DCCCLXXXIII	I.	Hadriani
DCCCLXXXIV	I.	Stephani
DCCCLXXXV	II.	
DCCCLXXXVI	III.	
DCCCLXXXVII	IV.	
DCCCLXXXVIII	V.	
DCCCLXXXIX	VI.	
DCCCXC		Formosi I.
DCCCXCI		

XIX. Augent vim argumenti non solum nomina, sed etiam numerus Pontificum expressus, *Ἰωάννης ἡ' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν τῇ πόλει*, à novem Pontificibus Romanis: quæ verba, cum habeantur & in codice Græco Vaticano M. S. & in excuso Coloniae Gl. & sint maximi momenti, nescio qua ratione omiserit interpres Latinus.

Ratio-

Latitocinare igitur; Photius fuit excommunicatus à novem Pontificibus, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, Formoso, per quadraginta quinque annos : ergo Ioannes iste, qui ponitur inter Leonem, & Benedictum, non fuit : alias, præter annorum numerum auctum, p se etiam Pontificum numerus augetur.

XX. Breviarium hoc Synodi in conspectu omnium erat; cætera Romanis æque ac Græcis patebant. si Græcos sefellisset, ane Romanos, qui illuc quotidie concurrebant, fallere non potuisset. Arguissent hi Græcos ipsos de mendaciò : numerum annorum & Pontificum decurtatum, mota lite, objecissent. Constantinopolitana ergo Romanam Ecclesiam ab injuria, quam ei illufores intulerunt, locupletissimo ac certissimo testimonio vindicat.

XXI. Iisdem testimonio & ratione fraus etiam eorum aperte detegitur, qui Ioannam hanc non inter Leonem & Benedictum, sed annis, vel DCCCLIII, vel DCCCLIV, vel DCCCLVII, vel DCCCLVIII, sedisse dicunt.

XXII. Paululum adhuc, lector candide, Constantinopoli immoremur. Michael tertius, (habes jam hominem,) Imperator Constantinopolitanus, post optimam piamque sanctissimæ matris educationem, sceleratorum scurrarum usu, pudore exhausto, circa initia Pontificatus Benedicti, quem Papissæ successisse isti garrunt, repulsam ab Imperii administratione matrem Theodoram in Monasterium relegat ; occisisque probis viris, non sensim & commode sed repente in omnium nequitiarum sentinam corruit, omnium scelerum colluvione pollutus. Exarsit in leges Politicas, in Ecclesiasticas sæviit, veneranda adorandaque nostræ religionis mysteria, flagitiosissimus homo, perdita audacia contaminavit. Eligit sibi, ex scurrarum mimorumque sorde, spurcissimos nebulones; horum nonnullos Diaconos, alios Sacerdotes, alios musicos ; horum omnium nequissimum, Patriarcham creat. Hos, vestibus sacris indutos comptosque, sacerdotalia sibi ipsi & populo exercere jubet. Et majestatis, dignitatis, & decoris Thronus, horum ludibrio, fit ipso luto lutulentior. Sibimet de hoc Imperator gratulatur, & plaudit ; ita ut non erubesceret publice jactare sacrilegus : Mihi Theophilus, Cæsari Photius, Christianis Ignatius est factus Patriarcha. Quis hunc

hunc hominem, si Ioanna illo tempore in throno Petri sedisset, continuisset, ne quid de ea adderet, Romanisque exprobrans, exprobrationem suorum flagitiorum declinaret? Certe Romanæ Sedis reverentia non fecit.

XXIII. Et Ioannæ Pontificis Pontificatum, & mortem, si fuisset, nec ipse nec alius potuisset ignorare. Etenim, in dissidiis inter Ignatium, & Gregorium primò, deinde & Photium, frequentes hinc & illinc missi legati, qui postea propter male obitâ legationem à Romanis Pontificibus exauctorati & excommunicati, damnati sunt; propter injuriam acceptam, Romanæ Sedis dedecora non siluissent. qui si obmutuissent, alii permulti, & donis & honoribus accumulati, non, quod verum fuisset, tacuissent, sed, in gratiam bene meritorum, nequissime id, quod non erat, finxissent. Qui enim habent manus venales & animos, ut & linguam & fidem venales quoque habeant necesse est.

XXIV. Perpende, lector, illorum temporum rationem. Iisdem fere temporibus, quibus in Oriente Imperator furit in sacra, Moguntiaci in Germania mulier, Thiota nomine, ut tradunt Francorum annales, & Sigebertus in Chron. res Ecclesiasticas perturbabat. Etenim novam se Prophetissam vocabat, usurpabatque publice docendi munus, & concionandi. Hinc multi, sacra doctrina postposita, eam quasi magistram cælitus destinatam secuti sunt: re postea detecta, Synodali iudicio damnata est. Habe, lector, quod mihi in animo est certum, nec ambiguum. Posterioris seculi homines nonnulli, rudes illi quidem & simplices, dum audiunt, inter Leonem & Benedictum, vel saltem illo tempore, foeminam quandam Moguntiacam, non tantum prophetasse, sed prædicasse, obiisseque alia munia, quibus Summi Sacerdotes decorantur, animum à foemella, quam nec cogitasse tantum scelus credunt, avertentes, ad principem omnium magistram, Petri Cathedram scilicet, cujus id munus esse optime norunt, inducunt, & à Germania in Italiam, à Moguntiaco Romam transferunt. Alii, scelesti illi quidem, malitiose totum hoc in innocentissimum Petri thronum traducunt, & Germanicam infamiam honoratissimæ Romanæ Ecclesiæ adtribuunt. Ut facilius fallere possint, Ioannam istam Anglicam, Moguntiacam esse volunt; & lepidi fabulatores, perbellis, et si

fictitiis

fictitiis, narrationibus vestiunt, & compte fucatam exponunt. Nec aliunde mihi videtur verifimilius, quam à Moguntiacà ista, Ioannem Moguntiacum originem, cum tempora respondeant, habuisse.

XXV. Michael alter, Constantinopolitanus Imperator, & Leo Achridanus, superbissimi homines, post centum & septuaginta annos, quando jam non tum primo suspicio, sed improbum factum sermo atque fama secuta fuisset, à Leone nono acriter vexati, illis exprobrante, Constantinopolitanæ Sedis auctoritatem, neque in pietate, neque in integritate, neque in gratia accepta à Deo, cum Romana comparandam esse, quod in illa jam sederit aliquando fœmina; æquo silentio tantum dedecus tulerunt, nec par pari reddiderunt Pontifici, opprobrium illi non minus intimum opposcentes. Non habuerunt igitur quid simile, quod opponerent, ut injuriam pari injuria, si potuissent, in Romanam Ecclesiam, homines procacissimi propulsarent.

XXVI. Eo ipso tempore, quo Marianus scribebat, auctor tractatus, Qua ratione à recto veritatis tramite Latini aberraverint, Περὶ τῶν λαλίνων αἰτίας, ὅπως ἀπέστεινον ἡ ὀρθῆ δόγματι, καὶ πότε. cujus principium, Κατὰ πῶτον καιρὸν, ἔ ποτε, ἔ πῶτε τίνων αἰρεσιῶν οἱ Ἰταλοὶ ἐδιδάχθησαν; homo nequam, Romani nominis & innocentis hostis, quamquam novas machinatus artes, quibus Catholicam Ecclesiam impeteret, tamen in serie Pontificum nullam agnoscit Ioannam, sed Benedictum Leoni successorem fuisse tradit. Τέθηκεν, inquit, ὁ ῥηθεὶς Λέων, καὶ Στέφανον αὐτῶν δεξάτω, τῆσον Παχάλιον, τῆσον Εὐγένιον, τῆσον Βαλέντιον, τῆσον Γρηγόριον, τῆσον Σέργιον, ὁ ἔ Πελάγιον, τῆσον Λέων, τῆσον Λέωντα ὁ Βενέδικτον. *Movitur dicitur Leo, (loquitur de Leone tertio;) hunc excipit Stephanus, hunc Paschalius, hunc Eugenius, hunc Valentius, hunc Gregorius, hunc Sergius, qui ἔ Pelagius dicebatur, hunc Leo, Leonem autem Benedictum.* Et infra: ὁ ἡ μακάριον Λέων, ὁ τῶν Ρώμης ἡμισωπὸς, ἀπὸ ἀληθινὸς ἀρχιερεὺς, καὶ γῆσι ἐν ἀπορίας ἡν & paucis interjectis, Παρῆλθε τῶν βίον Λέων ἡ τῶν ἀγαθῶν, καὶ κατέστη τάτῃ ἀγάδοχον Βενέδικτον ὁ θεῶν ἀγάπυρων ἡ ὀρθῆ τῶν Χριστιανῶν δόγματι ἐκκλησιῶν πάντων ἡ Ἰταλῶν τὸ τῶν πίστεως Σύμβολον ἀνομολογεῖσθαι ἡ ἡσασιν. *Vcrū beatus Leo, Romanae Sedis non mercenarius, sed verus ἔ legitimus Pontifex, anceps habebat, Et, Sanctissimus hic Leo vita excessit, ἔ hujus successor factus est divinus Benedictus,*

qui,

qui, cum maximo rei Christianæ, rectorumque dogmatum propagandorum studio teneretur, ab omnibus Italis ut Fidei Symbolum Græce pronuntiaretur, præcepit.

XXVII. Auctor libelli, de modo quo Latini à Græcis separati primatu ceciderint, ejectique fuerint è diptychis; cujus titulus, Διήγησις, πῶς ἡ τίνα τρόπον ἐχωρέθησαν ἀφ' ἡμῶν οἱ Λατῖνοι, διὸ καὶ τῶν πρῶτων αὐτῶν ἐσπρήθησαν, καὶ τῶν διπτύχων ἐξεβλήθησαν: libri principium, Ἐν τῇ ἐβδόμῃ Συνώδῃ, ἐπὶ Ἀδριανῶς Πάπας, ( quisquis ille fuerit, nomen quippe adhuc incertum, quod sciam; fuit is quidem homo Græcus, sed odio atque acerbitate in Romanam majestatem nemini secundus, ) initio libri catalogum nonnullorum Pontificum concinnans, qui eo tempore, quo Ioanna ista scæmina fuisse fingitur, Sedem Romanam rexerant, nullū alium inter Leonem & Benedictum ponit: & inferius, Benedictum Leoni successisse, apertis verbis fatetur. Διὰ τῆσσι, inquit, καὶ ὁ Πάπας Λέων τοῖς ἐν Σκθοφυλακείῳ ὕδασι χαλκῆς ἀσπίδας ἐγκεκολλημένον ἐν ἑαυταῖς ἐχέσας τὸ ἄγλον Σύμβολον ἀνεσήλωσεν ἐν τῇ Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ, εἰς ὁποῦτοπλὴ μὲν τῶν πειστικῶν αἰρεσιῶν, ἐν ἑλγυμα ἡ δὲ Χριστωνύμια λαβῆ. ὁ δὲ μὲν Λέων τῷ Βενέδικτῷ ὄρων πάλιν ἐπὶ τῶν εἰρημίων αἰρεσιωτῶν τῶν Θεῶν λαὸν λυμαινόμενον, διὰ χαρμμάτων ἐπιλιπικῶν τε ἔρωμαϊκῶν ἐκφωνεῖσθαι παρέδωκεν τὸ ἄγλον Σύμβολον. Propterea Leo Papa scuta ærea, quæ in Scenophylaceio asservabantur, quæque sanctum Symbolum in semetipsis insculptum continebant, in Romana Ecclesia in sublime erexit, ut similes vitarentur hæretici, Christianisque populus confirmaretur Qui vero post Leonem successit Benedictus, cum à dictis hæreticis verum Dei populum ladi cernebat, literis scriptis cum Græce tum Latine alta voce ut sanctum Symbolum recitaretur tradidit.

XXVIII. Idem repetit alius auctor, cujus nomen in occulto ad hunc diem latet, (utinam insignis ejus malevolentia & odium in Romanum nomen latuisset;) in libello contra Romanam Ecclesiam, cujus titulus, Διήγησις ἀκριβῆς καὶ ἀρχιερέων τῶν πρεσβυτέρων Ῥώμης, καὶ ὅπως ἀνεφύη ἡ τῶν αἰρεσις. Quippe narrationi de Leone Papa, & scutis æreis, expresse subdit, ὁ δὲ μὲν τῶν πειστικῶν Λέων τῷ Βενέδικτῷ, καὶ αὐτῶς Πάπας. Et qui post hunc Leonem Benedictus, & ipse Papa.

XXIX. Si præcipuus horum auctorum scopus est, ut odium in Latinos, atque infamiam, dicendo excitent, vel levissimis quandoque undiq; conquistis nugamentis; quæ credas, tantum nefas

efas dedecusque in his libellis, quibus maligne Romanæ Ecclesiæ infamiam inurere modis omnibus tentant, hos auctores quo silentio præteriisse? Pietas in Deum, quem multis nominibus scelestissimi offendunt; in Romanam Ecclesiam reverentia, cui innocenti, malignitate pessima, contumeliam faciunt; mor in homines Græcos, quos dolosi deludunt; non potuit, nec inguam nec calamum impedire, ne fabulam hanc, si illam scissent, scriptis mandarent. Et acuti sane homines, dum illa scriberent, ut verisimile est, examinaverunt omnia, conquiveruntque diligentissime, tandem animum ad scribendum appulere. In auctoribus, quos ipsi legerant, (legisse autem multos illius æmporis scriptores res ipsa tractanda cogebat,) talis fabula certe non erat; quam, si fuisset, nusquam conticuissent.

XXX. Præterea in Dialogo Orthodoxi, Græci scilicet, ut iudex Dialogi sibi arrogat, cum Latino, de Azymis, & de Processione Spiritus Sancti; cujus principium, *Λαπίνθ. Διὰ τὴν ἀποχρίσεσθε ἀφ' ἡμῶν, ἔ ε' σκηθωνωνεῖτε ἑδάμωσ;* dum de summorum Pontificum successione, illo ipso tempore, quo Ioannes scemina ponitur, differit, Benedictum post Leonem Ecclesiæ præfuisse scribit. Ecce illius verba. *Μαυθίνθ ταύτα ὁ τ' Ρώμης ἀγιάταιθ πάππας Λέων, λυπέτην, ἀδημονεῖ. εἶτα τί; ἐξάγθ μὴ ἐκ θ' Σκβοσφυλακεία τὰς ἱερεῖθ θ' θεῖα Συμβόλα ἀσπίδα, ἄσ ὁ ἀγιάταιθ Λέων ὁ πλὴν σίλλην τ' ὀρθοδοξίας συλγαΐφασ δὸτ τ' τετρῆτης Σωιέδασ πρεναππεθιζαύεσσε θεῖα κινέμθ πνθίμαθ, ἢ ἀναθημαθ καθυπέβαλε σπὺ μέλλονθσ πρεθκινῆσθ ἐκ θ' ἀγία Συμβόλα τὸ οἰονᾶν, καὶ κθ πρεθωπν ταύτης τ' Εκκλησίασ ἀνασηλοῖ, πρεθ τὸ ἀναγνώσκεσθι σπὸ πάντων. ἀπὸ δθ ἔ ἐπλευσθ εἰς ἀπασθν Εκκλησίαν τελέσθν σπὸ πλὴν Ρώμην κελθθ ἀναγνώσκεσθι, ἢ μθ μέλαθ τὸ ἅγιον Σύμβολον. ὁ θ' γε μεθ αὐτὸν δθχρεσθίδίζασ θεθθ Βενέδικθ ἢ εἰς πάνθ τὰ Πατριαρχεία σπρεθίθ, μθ δέξασθι Πάππαν τ' Ρώμης εἰς κθινωνίαν, πθιν ἀν πλὴν ἑαυτεῖ ὁμολογίαν ὀρθόδοξον κομίσθ πρεθ πᾶσθν πλὴν θ' Χελασθ Εκκλησίαν. *Audit hæc Romanæ Sedis Pontifex sanctissimus Leo: dolere animo, mæretque. Quid inde? sacra divini Symboli scuta, quæ sanctissimus Leo, fidei orthodoxæ, columnæ ob firmitatem nuncupatæ, scriptor, divino afflatus numine, jam inde à quarta Synodo, tamquam thesaurum conservabat, & omnes in divino Symbolo, quidquid illud fuerit, mutare tentantes, anathemate feriit, & scenophylaceio extracta in prospectu Ecclesiæ, ut ab omnibus legi possent, crexit. Quinimo per universas Ecclesiæ,**

*clesias, Romæ subjectas, Græce recitari, & cum cantu, sanctum Symbolū præcipit. Qui vero post ipsum summo Sacerdotio præfuit divinus Benedictus, ad omnes Patriarchales thronos datis literis, mandat, nullum posthac Romanum Pontificem in communionem recipi; ni prius suam fidei confessionem, quæ orthodoxa fuerit, per omnem Christi Ecclesiam promulgarit.*

XXXI. Patafne, lector, auctorem hunc, quisquis ille fuerit, (Barlaamum monachum, qui mukis scriptis editis Romanam Ecclesiam deprimere conatus est, & rerum tractatarum ratione, & orationis stylo, ac methodo, aliisque, esse putant, & ego facile mihi persuadeo, cum omnia, quæ hic habentur, in aliis Barlaami scriptis deprehēderim,) sic in Romanam sedem injuriū, ut hoc libello aliisque; fere omnibus manifestum est, injuriam hanc Ioannæ sceminæ, sive calumniam, tunc, cum omnibus modis dicenda erat, taciturnum fuisse? Næ ego fungus sim, si credam.

XXXII. Quin, inquires, apud Barlaamum, fabellam de Pappissa, veluti certissimam, tractatu, Περί τῆς Πάπιας ἀρχῆς, qui incipit, Οἱ θεοὶ τὰς ἑπισήμας δένοι ὡς χεῖρὲς θεοῦ κίσει, Græce & Latine, Salmasii opera, typis Vecchelianis, apud Claudium Narnium, Ioanne Luydo Interprete, anno MDCVIII, expositam fuisse; indeque illum non levem sui argumenti sumpsisse rationem. Scribit namque cap. XIV: ἡ μάλλον ἵνα οἰκιοτέρω χεῖρὲς θεοῦ εἰσέλθῃ, εἰς τὴν Πάπιας ἀρχὴν ἐκείνην γυναικὶς ἔφηρομένης Πάπιας ἀπολογεῖσθαι ἐθέλοι, λεγέτω, ὅτι ἐπὶ τῆς Πάπιας αὐτῆς εἰδὲς γυνὴν ἑαυτῆς, εἰδὲ αὐτῆς ἀρετῆς καὶ πῶς ταύτῃ σώφρονος λογισμῶς; quod sic vertit Luydo: *Aut potius, ut exemplo magis familiari utamur, si quis impudicæ illius mulierculæ, quæ Papa fuit, causam velit agere, dicat, quandoquidem nulla ante eum scemina Papa fuit, nec ipsam quidem fuisse. Quæ cum sana rectaque ratione quo tandem pacto coherent?*

XXXIII. Dicerem; Barlaamum, sequioris seculi scriptorem, parum piū; & in Romanam Ecclesiam parum æquum, rumorem populi secutum, eam literis prodidisse. Quemadmodum alii Laonico Chalcocondylæ exull, rerū Romanarum imperito, & Pontificibus infenso, responderunt. At, ut certissimam dixerit; fides illius cum suspecta sit, testimonium ipse improbum non admitto. Auctoritas namque sæpius diffamata, mendacique; rea, fidem non facit, nullum dat firmum & grave testimonium: inimico testi non credimus. Sed cum à Barlamo in hac re, neq;



e tempore, neque de nomine, neque de aliqua alia re, quæ hioriam respiciat, aliquid certi statuatur: suspicor, ipsum aliter: nunc legitur, scripsisse; & nomen unum in locum alterius, incuria scriptoris, sive etiam data opera, vel sola dictionum afinitate, irrepsisse. Scripserat enim λεγομένης: & scriptores, literarum similitudinē decepti, secundam lineam primæ literæ paululum erexerunt, caudamque tertiæ inferius detruncarunt, & pro recta auctoris dictione, malam fecerunt, illud γενομένης intrucentes. Nam Barlaamus fabulam, rumore quodam inani populi diffusam, veluti rumorem, & auram, eamque levem, titubans, non determinans, in scriptis retulit; quod magis argumentatio is illius vim explicat. Legendum itaque, ἢ μάλλον, ἵνα οἰκιοτέρῳ χήσωμαι πῶσα δέγμαι, εἴπερ ὑπὲρ τῆ ἀνοχλαίας σκείνης γυωαίς τῆ λεγομένης Πάππας ἀπολογείσθαι ἐθέλοι. Quasi diceret; Vel potius, ut exemplo magis familiari utar, si quis pro impudica illa muliercula, quæ dicitur (nempe, sive illud verum sit sive falsum, non disceris; tantum levem auram rumoremque audio, & vellem esset verum, ut magis familiaribus, Latinis, rationibus Latinos arguerem,) fuisse Papa, defensionem suscipere vellet. Neque enim adduci possum, ut credam, tam aperte hunc virum sibi è diameetro in eadem re adversari.

XXXIV. Historici Græci, fere omnes Romano nomini immerito infensi, res gestas toto orbe terrarum scriptis mandant: si quid est, quod Romanis detrahat, (utinam non malitiose etiam quandoque confictum,) propalant, tamquam buccinatores omnia voce replentes; quod laudis est, iniquissime detractum silent: dum in hæc tempora incidunt, quibus veluti victores ex inimicorum vesania justissimum agere triumphum possent, reliqua omnia prosequentes, fabellæ hujus nullam faciunt mentionem. Sed, qui illius meminerint, quod nec somniare unquam potuissent?

XXXV. Altum itaque silentium in scriptoribus Græcis, gravissimum ac firmissimum erit argumentum, talem læminam in Sede Pontificia nunquam sedisse. Siluerunt illi; ergo non fuit: optima conclusio est. Inimico quippe, si verbis & contumeliis alterum dilacerat, neque quod in causa est effatur, facile credi potest: neque enim verisimile est, silentio præteruisse, quæ ad suam rem maxime conducerent.

d

XXXVI. A Græc

XXXVI. A Græcis, si placet, ad Latinos. Anastasius Bibliothecarius, qui Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, & Nicolai I, creationi præfens interfuit, inter Leonem IV, & Benedictum III, nullam Ioannam intulerit, sed apertis verbis confiteatur, post interregnum quindecim dierum, hunc Benedictum Leoni IV subrogatum fuisse. Lupus, Abbas Floriacensis, epist. ad Benedictum III; Nicolaus Papa, successor Benedicti III, epist. VIII & IX ad Michaellem Imperatorem, & ea, quam scripsit ad Episcopos Sueffionensis Concilii; Acta Concilii Tullensis, sub Nicolao I celebrati, epist. Synodali; Benedictum Leonis successorem nominant.

XXXVII. Nihil hac de re Ioannes Diaconus, & Ado Viennensis, qui nono itidem seculo scripserunt; nihil Regino & Luitprandus, qui decimo; nihil Hermannus Contractus, Lambertus Scaffnaburgensis, qui undecimo; nihil denique subsequen-  
 tium seculorum scriptores, Ademar, Hugo Floriacensis, Leo Hostiensis, Ioannes Cremonensis, Florentius Vingornien-  
 sis, Honorius Augustodunensis, Nicolaus Maniacutius, Conradus Abbas Ursbergensis, Albertus Staden-  
 sis, Vincentius Burgundus, Mattheus Vestmonasteriensis; aliique posteriores: nihil manus-  
 cripti & antiqui Indices Pontificum, quos videre contigit, inter Leonem & Benedictum.

XXXVIII. Adde; in scriptis auctorum, quibus adversarii ad fabellam corroborandam utuntur, non haberi eo modo, quo ipsi somniant, & vellent. Illi namque, si id tradiderint, non affirmantium, sed hæsitantium titubantiumque in morem, scripserunt; quos & posteriorum potior pars est secuta, interponentes illa, *Ut asseritur, ut fama est, ut dicunt, ut commemorant.* plebeiam scilicet auram esse, sciolorumque hominum rumorem fuisse in-  
 nuunt; quem non probantes, sed contemnentes potius, lectoribus prudentissimis deridendum proponunt. Etsi nimis audaces hæretici illa verba è multis codicibus, quod est neotericorum ingenium, erasere.

XXXIX. Vide sis plura, Lector, de hac fabula apud Onuphrium Panuinum, in *Vitis Pontificum Platinae*; Gilbertum Genebrardum, in *Chronolog anno DCCCLVIII*; Iodocum Coccium, in *Theaur. Cathol. tom. I, lib. VII, art. XIV*; Cæsarem Baronium, *Annalium tom. X, anno DCCCLIII*; Bellarminum, *Controvers.*

XX. I. *Contr.* III lib. III c. XXIV; Nicolaum Serarium, in *Monzianis*; Iacobum Gualterum, in *Tabul. Chronolog. secul. IX*; Scerinum Binium, tom. III *Concil. part. I*, notis in *Vita Benedicti apæ*; Alanum Copum, *Dial. I, c. VIII*; Petrum Maturum, *Annot. in D. Antonini Chron. post Leonem IV*; Nicolaum Sandem, de *visib. Monarch. Eccles. lib. VII*; Aubertum Miræum, in *Sigeberti Chronicon*; Iustum Lipsium, *Epist. ad Franciscum Snerium v Kal. Mart. MDIXCV data*, cujus autographum asserari apud se, tradit idem Miræus in *Sigeberti Chron.* Simonem Aajolum, *Colloq. XII*; Iacobum Gretserum, in *Defensione Bellarmini tom. II, lib. III, cap. XXIV*; Iacobum Gordonum, *lib. VIII Oper. Chron. an. DCCCLIII*; Franciscum Longum à Coriolano, in *Breviar. Chronol. anno DCCCLIII*; & ante alios Floremundum Remundum, libello de hac re edito Gallice & Latine à filio. Qui omnes fabellam hanc exactissime pertractatam refellunt evidentissimis rationibus.

XL. Idem præstitit, licet Pontificiæ dignitati parum æquus, Papirius Massonus, de vitis Episcoporum Urbis, & Ioannes Aventinus, *Annal. lib. IV*, longe tamen diversam ab hac huius rei tradens originem. *Albertus*, inquit, *locupletissimus Etruriæ Princeps, Ravennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. Ejus soror Theodora, scortum nobile atque imperiosum, Romæ dominabatur, Ioannemque nonum, amatorem suum, Bononiensibus primo, deinde Ravennatibus, postremo Romanis, imposuit, primariumque sacerdotem creavit. Unde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgari, hisce temporibus fuisse Sacerdotem maximum sæminam, quæ appellata sit Ioanna.*

I.



Vperesse Romæ Martinum Polonum M. S. annosissimum, ubi nulla Ioannæ mentio, testatur Allatius; ut audivimus. Qui addimus, reperiri & apud Vbios codicem ejusmodi veterem, typis mandatam anno CIO IOCXVI. Quod monui ego Calixtum, CIO IOCXIII; ac monuit suum antagonistam Stalenus, CIO IOCXIX; notavitque genere nobilissimus, dignitateque insigni & insuper eruditione summa perquam illustis vir, Bernardus Mallincrotius, CIO IOCXI, volumine de Archicancellariis: quem virum etiam inde lubens hic nomino, quod Helmefteti, apud Henricum Meibomium, particeps mensæ fuerit ejusdem cum Calixto & longe optimo nobisque honoratissimo Ludolfo Klenkio Hemelscheburgico, annis CIO IOCVII & CIO IOCVIII; cum & ipse in ea tunc Academia degerem. Neque istud, quod dixi, monui solummodo Calixtum, sed & eundem hunc hominem ita simul excepi tunc, ut ne hiscat quidem contra, in hanc usque horam. Ecclesiam autem incurfabat ipse, ut ream actor; sed demonstrans nihil. Itaque triumphavimus, Ecclesiæ nomine. Quanto magis igitur nunc triumphamus, ubi Matris ejusdem innocentiam demonstratam præterea dat, quod facere non tenebatur, Leo Allatius; adducens pro nobis quoque Ioannem Aventinum; ut postea Stalenus auctorem augmenti Chronici Carionis, & Catholicis inimicos alios, inque his non modo Christophorum Befoldum, qui, ut audio, factus postmodum Catholicus, verum & Sethum Calvisium, & Paulum Merulam, qui omnes Calixto priores, nec non Henricum Kornemannum, qui tempore scripsit ferme eodem! Triumphamus, inquam, de Calixto, quod actionem ipsius de Ioanna Pappissa attinet quidem, apertissime in theatro totius mundi. Utque  
adco

leo nostra ea ovatio tanto resonet clarius ; ecce, verba, quibus se à nobis prostratus in arte nova anno sapius memorato 1010 c xxxi i , recitabimus hîc voce alacerrima. & quidni, im ita ingens jam affulgeat eis jubar ab Allatio ? Sunt autem eius meæ disputatiunculæ membra duo. quorum prius tantò cilius mandabitur memoriæ, si attendatur : seculo Christiano primo factum Papam, anno quidem 10 c c c x l v i i Leonem iv, vero 10 c c c l v Benedictum ; inter quos duos mediam Calixtus locatam velit Ioannam Papissam : cæterum historicos eodem seculo scripsisse, anno 10 c c c l v i i Anastasium Bibliothecarium, & 10 c c c l x x i x Adonem Viennensem, ut & seculi undecimi anno c i o l Hermannum Contractum ; atque ab hisce tribus negari, fuisse Papissam : scripsisse dein, tum ejusdem seculi decimi anno c i o l x x x i i Marianum Scorum, & duodecimi anno c i o c i Sigebertum Gemblacensem, nec non decimi tertii anno c i o c c l Martinum Polonum ; sed in horum codicibus vestissimis nullam quoq; Ioannæ mentionem fieri, verum tantummodo in recentioribus ; ac proinde ab aliis, ante repertam artè pographicam, si non & ferius, adfutam fuisse ; immo neque tela ea certi quid asseri, sed, hæsitanter loquendo, ex historia certarum numero totum eximi ; Martini Poloni autem, nihil affirmantis, vestigiis insistere historicos alios, qui eum sequuntur, nec etiam quidquam adseverare ; Platinam deniq; fabulis rem censere. Hæc, inquam, synopsis est membri prioris. posterius anuductione tali non indiget. Contra Calixti igitur librum de conjugio Clericorum scripsimus, quæ hic sequuntur.

**N**OBIS Catholicis nondum liquido constat, pro historia fide digna habendum id, quod de Ioanna Papissa memoratur. Immo neque constat nobis, si talis etiam Papissa fuit, fidei nostræ Catholicæ, sive doctriæ de primatu Papæ, id quidquam derogare. Itaque prodiens Calixtus, docere nos utramque conatur. Assentiemur equidem, si confirmaverit sua fide. Sin minus, nemo prudens mirabitur, in nostra nos pertentere sententia.

III. Prius quod attinet : *Substantia facti est*, inquit, *quod in Leonis quarti & Benedicti tertii Papatum media intercesserit fœderata, supremo Pontificatu posita, eamque per quinque fere secula à*

quam plurimis, monachis plerisque & Italis, papatus alioquin studiosissimis, adfertam, à paucis dissimulatam, à nemine negatam fuisse: convenire in hac summa rei autores, à quibus traditur, omnes. Benedictus III autem, quem Ioanna illa, secundum Calixtum quidem, præcessit, Pontificatum adiit anno 10 CCCLV; ex quo si tempore, usq; ad annum hunc 10 10 C XXXI I, quum elapsi sint anni 10 CC LXXVI I, sive octo ferme secula; Calixtus quinq; illa secula, quibus historici, quos pro sese adduxit, ordine vixere, orditur à tempore primi eorum, Mariani Scoti, hoc est, ab anno circiter 10 DLXXXI I I, (in quo historici istius Chronica definunt,) & finit in Ioanne Aventino, quem constat obiisse anno 10 10 XXXIV.

IV. Argumentum itaque Calixti sic habet: Quod de antecessore Benedicti III Maria Scotus, & post eum Sigebertus Gemblacensis, ac Martinus Polonus, (quorum primus, ut dixi, vixit anno 10 LXXXI I I, secundus autem anno 10 C I, & tertius anno 10 CC L,) innumerique alii per integra fere quinque secula constanter asseruerunt, neque interim ullus alius negavit, id pro fidedigna historia haberi meretur apud Pontificios. At de antecessore Benedicti III, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacensis, ac Martinus Polonus, innumerique alii, per integra fere quinque secula constanter asseruerunt, fuisse scæminam, dictam Ioannam Papissam; neque interim ullus alius id negavit. Ergo antecessorem Benedicti III fuisse scæminam, dictam Ioannam Papissam, pro fidedigna historia haberi hodie meretur apud Pontificios.

V. Respondeo. Ponamus, Minorem esse veram, (quam falsam esse ostendemus postea,) tum de Maggiore certe, quam neque Calixtus confirmat, ratio dubitandi occurrit nobis, eaque forte non levis. Nam, si boni historici, qui scripsere inter tempus antecessoris Benedicti III & Mariani Scoti, (quod est annorum circiter CC XXVI I I, certe plusquam duum seculorum, ut ipse largiris, Calixte mi,) contrarium iis quæ de Benedicti III antecessore à Mariano Scoto, Sigeberto, & Martino Polono narrantur, constanter asserunt, neque alii tum temporis negasse deprehenduntur; tum prudentis non est, Mariani, Sigeberti & Martini assertionem acceptare pro historia fidedigna. Sed boni historici, qui scripsere inter tempus antecessoris Benedicti III & Mariani Scoti, (quod est plusquam seculorum duum,) nempe

e Anastasius Bibliothecarius, Ado Viennensis, & Hermannus Contractus, (quorum primus vixit anno 1033 LVIII, secundus 1033 CLXXIX, tertius anno 1033 L,) contrarium iis quæ de Benedicti III antecessore à Mariano Scoto, Sigeberto, & Martino Polono narrantur, constanter asserunt, neque id alii tum temporis negasse deprehenduntur. Ergo prudentis non esse videtur, Mariani, Sigeberti & Martini assertionem acceptare pro historia fidedigna.

VI. Major per se manifesta est; quum quis concedat, bonis historicis, qui vixere circa tempus rei gestæ, ut Anastasius, et non multo post, ut Ado & Hermannus, neque contradictorem eo tempore habuisse deprehenduntur, magis fidentiam uam aliis, qui duobus seculis post exorti, contrarium scribunt. Minore concedis ipse, Anastasii Bibliothecarii, Adonis Viennensis, & Hermanni Contracti editiones hodie notas omnes, constanter asserere contrarium iis, quæ narrantur de Benedicti III antecessore à Mariano Scoto, Sigeberto & Martino Polono; concedis item, nullos alios tum temporis eis contradixisse deprehendi. Saltem, Anastasio, Adoni, & Hermannus credendum negas. At quare?

VII. *Anastasium Bibliothecarium, inquis, Pontificum & Pontificiæ sedis studiosissimum, omisisse, quin omni arte, ut memoria rei in fœdæ & ignominiosæ supprimeretur, enixum esse, mirum minime est: mirum potius foret, si aliter egisset.* — Neque magis mirum est, Adonem Viennensem & Hermannum Contractum vestigia Anastasii quætos esse, & ignominiam Romanæ sedis, sub qua ipsi degerent, dissimulasse. Summa est, illos tres historicos fidedignos ideo non esse, quod historiam verissimam de Ioanna Papissa, amore Sedis Romanæ, & pudore istius flagitii, studiose suppresserint: (quale uidet & de Nicolao I alibi scribis, qui vixit eodem tempore quo Anastasius Bibliothecarius, & vero, antecessores suos recensens, Hannam omittit.) Sed hic præsupponis, Calixte mi, verissimam esse illam de Ioanna Papissa historiam; quod ipsum tamen in uæstione unice positum scis. Annon hoc manifesta petitio principii est? Negamus enim pernegamusque, esse historiam. Nonnumquam ergo intestabiles fecisti testes illos meos. Unusquisque enim eorum præsumitur esse verax, donec contrarium probetur; quod abs te factum nondum est.

VIII. Suspectum quidem Anastasium illum & inde redere velle videris, quod res gestæ Ioannis octavi (qui ab anno 1000 ccc lxxiii, id est, post Benedicti III obitum decimo octavo, Pontifex decennalis fuit,) penitus apud eum desiderentur. Sed ipse te refellis, dū statim subjicis, non desiderari ea apud Anastasium ipsum, sed apud ejus continuatorē Gulielmum, qui videtur scripsisse Anastasio mortuo. Ais quidem, à Gulielmo illo omiffa Acta Ioannis VIII, quod minus honorifica essent Sedi Apostolicæ, ob restitutum ab eo Photium, Catholicorum hostem; ergo simili de causâ idem ab Anastasio factū circa Ioannam Papiſſam. Sed Consequentiam eam claudicare, nemo non videt. Et Antecedens admodum quoq; dubium est. Vnde enim certus tu, eam quam tu dicis, causam esse, cur Gulielmus omiserit Acta Ioannis VIII? An inde, quia Baronius dicat, *fortasse* ita esse? At quid si, qui ait, *fortasse*, nil asserat, sed rem in medio relinquat? Vt taceam, rationes esse proferendas, non è solius Baronii auctoritate, siue dubitatione potius, sed è re ipsa. Et quid si Gulielmus causas alias habuerit? Quid si non proposuerit sibi illic in supplemento Chronici Anastasiani omnia perscribere? Quid si Acta Ioannis VIII perscripta ab ipso aut aliis ante fuerint alibi, & vel perierint postea, vel etiamnum alicubi lateant? Quis contrarium scire potest? Et tu tamen ita audacter inclinas in contrarium, repudiato illo Baroniano *fortasse*. An hoc viri prudentis est? Non quidem bene egit Ioannes VIII, in communionem recipiendo degenerem illum nimis & heteroclitum Photium anno 1000 ccc lxxix; sed quis scit, annon male saltem informatus id egerit, ac proinde, re melius comperta, statim eum damnarit, ut apud Baronium est, anno sequente? Annon ergo, salva Sedis Apostolicæ auctoritate id, quod per orbem terrarum increbuerat, scribere in Chronico illo potuisset Gulielmus, nisi causam aliam habuisset? Immo, annon res ipsa postulasset, subsequutæ damnationis Photii ut minimum facere mentionem ad salvandam Ioannis VIII existimationem, antea nonnihil obscuratam? Sed hæc alio pertinent. Porro: *De Hermanno Contracto*, inquis, *probabilius diceretur, Ioannam Papiſſam ex ejus Chronico erasam, quam historicis posterioribus insertam.* At quomodo id probabilius? An Codices vetustissimos, tibi adstipulantes, nosti? Nullo modo. Sed neque vel suspicandi causam aliam scis, præter eam



am quam ante rejecimus. Vnde ergo, obsecro, illa probabilitas?

IX. Cum igitur testimonia, pro nobis contra te militantia, nastasii Bibliothecarii, Adonis Viennensis, & Hermanni Contacti, nondum elevata sint, nulla nobis profecto causa est, cur nos non agnoscamus pro fidedignis historicis. Et per consequens, Minor mea immota adhuc stat, ubi tribus illis, quos jam dixi, historicis magis credendum dixi, quam tribus illis tuis, Iuliano Scoto, Sigeberto Gemblacensi & Martino Polono. faceo, quod his ipsis fidem tute ipse apertissime deroges, & videm dupliciter. Primo enim, figmentum tibi est, quicquid aliquo historico asseritur de re ante ipsum aliquot seculis gesta, de quo antiquior ipso scriptor tuis oculis haud visus. *U*amque figmentum vocas, in Concordia Evangelistarum, in hanc oriam nostram ecclesiasticam translatae è Nazareth Cameræ in Galatiam anno MD C XCI, & inde Lauretum quadriennio post; empe quia tibi non antiquiores testes producere Baronius queat, quam Blondum & Mantuanum, quorum ille circa annum MD CCCC XL, hic circa annum MD ID, atque ita ille sesquicentulo fere, hic seculis fere tribus post translationem vixit; (quam tamen in re injuriam Baronio, ut alibi Tursellinum Roestiumque legans, ostendo, facis; sicuti & in altero, ubi scribis: *Baronius in minus locum nati quam concepti Salvatoris, quem locum ex antro cubuloque in casam prius convertit, ministerio Angelorum transfert, quidem Romam*: quod enim Romam inde translatum est, hodieque adhuc in Ecclesia S. Mariæ Majoris adservatur, ligneum tæsepe est, quod stetit olim in præsepi lapideo, adhuc existente ethelemi; neque quisquam mortalium apud nos dixit, ministerio Angelorum hinc eo perlatum; locus vero nati Christi & atrium est infra, in rupe excisum, olim stabulum, & supra, à parvula, fuit casa, sicuti jam totum est crypta templi, à S. Helena, fallor, olim conditi, cujus cryptæ formula è cedro mihi visa, à apud Cotovicum quoque descripta; neque Baronius vel minimum horum negat.) Ita figmentum tibi est, quicquid tu non venis evidenter ad captum tuum de rebus fidei in scriptoribus sinque primorum seculorum; id enim, quanto unquam conari potes, asseveras ita, in Apparatu, in Proœmio Vincentii Leuenensis, & denique in Dedicatoria libri de Conjugio Clerico-

rum, ad Senatum civitatis Hildesienſis; ( cui Pontificios, quantum apparet, commendas peculiariter.) Vt ita axioma tuum fit: Quicumque aliquid, plusquam ducentis annis ante ſe geſtum, deſcribit, cujus rei teſtes antiquiores hodie deſunt, ille finxit id, & novator eſt. Iam ſubſumo: At Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis & Martinus Polonus aliquid hic deſcribunt, plusquam ducentis annis ante ſe geſtum, nempe Benediſti III antecellorem fuiſſe ſœminam; cujus rei teſtes antiquiores deeſſe, ipſemet ſponte concedis. Ergo jam, ſecundum teipſum, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis & Martinus Polonus, iſtud finxerunt, & novatores ſunt. Quid hinc ais obſecro? Scio, Majorem hanc tuam alibi abs temet ipſo negari. Sed hoc ſuſpectum adhuc magis apud nos negotium tuum facit. Annon enim ſatis erat, te tibi ſemel contradixiſſe, niſi proderes contradictionem tuam adhuc aliam? Secundo, in ejuſmodi ſcriptores, qualis eſt Marianus Scotus, Sigebertus, & Martinus Polonus, multas irrepiſſe aniles fabulas, aſſirmantem Baronium laudas mirifice in Apparatu. Quid ſi ergo & ſic trium iſtorum fidem hic ſuſpectam reddas?

X. Atque hæc ad Syllogiſmi tui Majorem, Iam & minor iſta: At de antecellore Benediſti III Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis & Martinus Polonus, innumerique alii per integra ſere quinque ſecula conſtanter aſſeruerunt, fuiſſe ſœminam, dictam Ioannam Papiſſam, neque interim ullus alius id negavit; hæc, inquam, tua quoque enunciatio, æque apud nos dubia eſt, tum quoad aſſertionem de tribus iſtis primis, jam toties dictis, tum quoad innumeros illos alios, tum quoad id, quod à nullo interim alio rem eam negatam negas.

XI. Primo enim, Marianus Scoti, Sigeberti Gemblacenſis & Martini Poloni Codices aliqui M. S. antiquiſſimi non habent quidquam de Ioanna Papiſſa. De Mariano & Sigeberto teſtes nobis fidedignos, quibus Codices viſi, adducit Bellarminus, Colonienſem illum, qui Metropolin Crantzii edidit, & Ioannem Molanum; cujuſmodi & mihi noti ſunt alii. Martini vero Poloni Codicem ejuſmodi inſignem in Monasterio ( ſi recte recorder) S. Catharinæ Tremonienſi repperit Ioannes Fabricius Cæſar, Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis in cœnobio Knechtſtedenſi, adeoque editionem inde novam curavit Coloniae, ſum-

bibliopolæ Grevenbruch, anno MDXVI; codicem vero sum deposuit apud Severinum Binium, primum celeberrimumque virum, ut cuilibet eum videndi copia ibi sit. Cum igitur in aliquibus Codicibus M.S. vetustissimis Mariani, Sigeberti & Martini, illud de Ioanna Papissa desit, merito dubitamus, autotes illi revera tale quid scripserint, & annon potius alii operiti, aut maligni hostes, ad marginem adjecerint, ac postmodum librarii per incuriam textui inferuerint jam ante inventam typographiam. At, inquis, *manuscripta illa Mariani & Sigeberti nec exstant nec exhiberi possunt.* Vnde vero tu id ita infallibiliter scis? An quia non vidisti? At forte nec vidisti Codices l. S. è quibus concinnata editio quam tu sequeris. An ergo nec illi exstant, nec exhiberi possunt? At, inquis, nude affirmantibus Pontificiis hinc non credendum. Si ita est, ergo multo minus tibi credendum, affirmanti ita intrepide, eos falsum testari. Et quid ad nos, sive tu credas eis, sive non? Sufficit, conare nobis, quod Codices illi exstant, (si non postea periere,) : forsan inde etiam procuraturi aliqui pro commoditate sint editiones novas, ut in Martino Polono factum. Qui, inquis, illud de Ioanna Papissa omiserunt, veram historiam de industria expunxerunt. Respondeo. Proba prius, expunxisse; immo proba, veram historiam esse. Vtrumque in quaestione est. Principium ergo denuo petis. Cujus tui peccati me nimis quam tæret. Nobis, inquam, solide proba omnia: nihil nos probabimus tibi tuisque: sufficere solent vobis, aliquid asserentibus, demonstrationum loco merae suspiciones: non equidem invideo, viror magis: interim suspiciones illæ vestræ nobis nihil proant. Taceo, quod neque Sigeberti neque Martini editiones, tuas tu sequeris, ita constanter ut tu dicis, asserant illud de Ioanna Papissa; quum ille saltem dicat, *Fama est*, hic vero, *ut asseritur*, scil. vulgo; nam ipse sic interpretatur.

XII. Secundo, quod scriptores attinet qui hosce sequuti, primo eorum ad Marianum Scotum provocat, ad Sigebertum plus Palmerius, ad Martinum Polonum omnes fere ceteri. Vnde verisimile fit, in Mariani Codicibus olim omnibus, & in Sigeberti plerisque, altum de Ioanna fuisse silentium. Quicquid tamen, nullo modo video, à scriptoribus iis rem eam ita constanter esse assertam, ut tu contendis. Fasciculi enim temporum

Wer-

Weneri Rolevincii codices M. S. veteres itidem hinc silent; de quo mihi certo constat. Ceteri, qui ut dixi Martini Poloni Codices sibi visos sequuti, nihil certi affirmant; ut S. Antoninus, Volaterranus, Crantzius, Tritheimius; nempe dum utuntur verbis, *dicunt, ferunt, fertur*; Naucerus vero addit, taceri eam rem *in auctoribus certis*. Subjicit denique Cælium Rhodiginum: qui tamen, ut scis, historicum se non venditat, sed compilatorem saltem eorum, quæ mira philologis junioribus. Quam multa enim referuntur ab eo, quæ vera esse nemo credit, ex Plinio, Æliano fabulisque aliis! Atque hinc forte etiam factum, quod peperisse Ioannam dicat Anno 1500 LIII, & sic Leone adhuc vivente; quod est contra Cælium ipsummet.

XIII. Tertio denique falsum est, à nemine Scriptorum, quos pro te allegas, negatum illud de Ioanna Papissa. Negavit Platina, vel teipso teste, ubi ait: *Erremus etiam nos* (id est, sicut alii,) *hac in re cum vulgo*. At, inquis, Platina subjicit hoc, *ne Pontifices offenderet; memor tetri carceris, è quo haud ita pridem sub Paulo secundo emerferat*. Sed unde hoc tu ita infallibiliter scis? An inde, quod ita saltem suspicaris? At quid si alius contra æque facile suspicaretur, Calixtum non probare sua, sed suspicari tantum, ut gratiam aucupetur suæ plebeculæ, suspicionum non argumentationum studiosæ, quum prodeundum in Papistas? Proba, inquam, quicquid dicis; & nobis quidem proba, quos scis non ita facile loco motum iri cassis ejusmodi suspicionum larvis. Negavit, inquam, Platina, extitisse Ioannam. Et unde tu scis, non negatum id quoque tum temporis à pluribus? An enim auditi auribus tuis omnes tunc docti & prudentes? Non puto.

XIV. Neque Majorem ergo tuam persuasisti nobis, neque Minorem: consequenter ergo neque Conclusionem. Quare frustra tuum illud epiphonema: *Historia itaq; Ioannæ Papissæ, ante sexcentos annos in literas missa, & ex eo à plurimis auctoribus omni affectu vacuis unanimiter adserta, nemine uspiam contradicente vel inficias eunte, nisi quod à centum annis impugnari primum cæpit*, nempe à Pontificiis. At quis ergo eorum impugnavit, secundum te, primus? Aventinus. Præclarum certe Pontificium; quem nostrum non fuisse, & ipsiusmet ad Melanchthonem literæ, apud Gretserum contra Goldasti Replicam, docent, & alias abunde constat. Summa est: rhetoricarum tantum, & nihil probas. Qui profecto probare

robare tuis æque ac nobis debebas omnia ; nam etiam in talibus rebus mere historicis reddere rationem tenentur Lutherani universi suis, cur à nobis, certa ea esse negantibus, desciverint, iudicæ statuere in animum induxerint.

XV. Et de priore quidem capite tantum. Porro, ad postea progredientes, præsupponamus, quasi revera tamen fuisset Panna Papissa. Quid inde colliges ? Ergo, inquis, Pontificiorum doctrina de Pontificis infallibilitate, & obedientia à Christianis omnibus ei debita, funditus jam corrui ; quum utrumque hoc de fide apud eos sit. Respondeo. De priore, hoc est, de infallibilitate Pontificis, (sumendo, inquam, Pontificem in tuo sensu, sive pro homine, gregente nomen istud, at neminem etiam in consilium adhibente, immo sententiam ante, quam proposita membris Ecclesiæ principibus, atque examinata penitus ab eis & comprobata communi consensu fuerit, pronunciante, ut illorum capite,) valde falleris, ut alibi dixi. Infallibilitas enim illa probabiliter defenditur solum à quibusdam nostris hominibus privatis ; quorum sententiæ si tibi omnes sunt dogmata fidei, per me licet & Ictorum opiniones privatas legibus Cæsareis aut Imperii Recessibus æquipares. Ecclesiam esse infallibilem, id demum de fide apud nos est. Iam licet Pontifex caput Ecclesiæ sit, non tamen ipse proin solus infallibilis, sed simul sumtus demum cum membris ceteris in ejus vocem consentientibus & conspirantibus ; itidem ut caput physicum in homine non loquitur, non videt, non audit, non obit munia sua cetera, nisi influant concurrantque pulmones, cor, ceteraque omnia, sine quibus loqui, videre, audire, imo & intelligere nequit. Neque Jesuitarum aut aliorum nostrorum quisquam dogma fidei aliud hac in re habuit unquam. Frustra ergo tot ubique verba de infallibilitate illa Papæ prodigis. Non certe infallibiliter certus es, ut tibi videris, de vera hic nostra sententia. Vnde & hinc frustra novitatis accusas fidem nostram ipsam. Sed de hoc à nobis actum alias pluribus.

XVI. Pontificem vero totius Ecclesiæ visibilis perpetuum primatem esse, adeoque à Christo ipso in S. Petro constitutum, (non vero solum jure humano Patriarcham Occidentis, ut tu velis,) id demum de fide apud nos est : non profecto aliud nobis constat. Tu quidem cum eo pugnare dicis, quod Pontifex fuerit

rit fœmina : accedere ais, quod itidem de multis quoque Pontificibus maribus dubium fit, an legitimi fuerint : immo multos legitimos, fuisse impios. Et postremum quidem hoc probas è Genebrardo, (cui respondent Forerus, Gretserus & alii.) Immo & Baronius fatetur, inquis, fuisse Pontifices aliquos pessimos, tamenli neget fuisse impios. Verba tua sunt : *Nunc etiam porro discimus, Pontifices esse successores Christi; & etiamsi vita turpissimi moribusque perditissimi sint, tamen impios non esse. Ita novis doctrinis aliis super aliis nos beat Baronius.* Sed sicuti perperam hîc Baronium carpis quod Pontifices *successores Christi* nominet, (recte enim suo modo sic dicuntur, quoad regimen visibile, utpote in quo revera Christo, postquam visibiliter hic regere desuit, succedere, itidem ut in suo genere Pontifex Veteris Testamenti antecessit,) ita Critica tua, nimis effuse calida hîc, Baronio affingit reliquû. Neque enim is negat, qui moribus ac vita turpissimi fuerint, eos fuisse impios, sed saltem negat, ita fuisse impios ut fuere Christi in genealogia prædecessores aliqui. Et tamen eundem in modum sæpe agis cum Baronio, nescio quarum crypsum eum subinde, ad Calauboni tui exemplum, insimulans ; qui tamen ipse fere nil agis, nisi ut perpetua crypsi utaris in torquendis rebus omnibus eo, quo tua te trahit nobis inimica opinandi voluptas. Quid enim aliud est suspicionum & rhetoricationum densissima illa nox, cui te, quasi abjurata luce demonstrationum, quibus tua nobis contrariantia dogmata stabilire unice tenebaris, nunquam non involvis ? Fuerint, præter fœminam eam, & alii Pontifices illegitimi ; fuerint in legitimis impii. Quid inde ?

XVII. De illegitimis ais. Si Deus censuisset, Christianos debere omnes obedire Pontifici, tum non permisisset, locum Pontificis occupari ab eis, qui non legitimi sive, quod eodem recidit, dubii. Permisit autem. Ergo non censuit, Christianos debere omnes obedire Pontifici.

XVIII. Respondeo. Si Major tua bona est, licebit mihi parodias tales canere: Si Deus nos vellet obedire Episcopis & Parochis, imo magistratui seculari quemque suo, & denique etiam parentibus, tum non permetteret, locum eorum occupari ab illegitimis aut dubiis, qualis dubius Mustapha ille in Turcia (apud Busbequium,) Demetrius in Moscovia, & sic deinceps in aliis, etiam parentibus, nam & ibi certe pater sæpe illegitimus vel dubius.

bius. Item : Si Deus vellet, conjuges esse tantum duos in car-  
 : una, tum non permetteret suppositivos Amphitruones ullos,  
 : Liam quampiam, occupantem partes Rachelis, neque sine-  
 t, ut mulier, putans maritum pridem esse mortuum qui tamēn  
 vit adhuc, nubat alteri ; cujusmodi casus alios erroresque, ma-  
 imoniorum immo & contractuum ceterorum diretores, con-  
 lto taceo. Item : Si Deus vellet nos obedire conscientiaē re-  
 æ, non permetteret conscientiam invincibiliter errantem. Im-  
 o, si Deus neminem vellet decipi, & nullum omnino pecca-  
 m committi, tum non permetteret impostores & peccatores,  
 uti neque hæreticos, aut Christi adversarios ullos. Permittit  
 item Deus hæc & similia alia innumera. Ergo ista priora non  
 ult. Responde hic, & respondebis tibi tunc ipsimet ipsemet.  
 tamen, inquis, si Deus voluisset, fundamentum omnis jurisdic-  
 tionis Ecclesiasticæ esse Pontificem, ut volunt Pontificii, tum  
 on permetteret interdum aliquammultis annis Pontifices ille-  
 titimos, sive (quod idem est) nullos. Permittit autem hos inter-  
 im aliquammultis annis. Ergo non voluit illud quod volunt  
 ontificii. Respondeo. Pontificii volunt, jurisdictionem Epi-  
 oporum pendere à Pontifice in fieri solum, à Christo autem,  
 nquam principali perpetuoq; capite, in esse. Vnde nec neces-  
 rium, semper actu aliquem esse Pontificem pro sustinenda ju-  
 dictione : itidem ut non necessum est ad perennandam ju-  
 dictionem magistratuum inferiorum regni Neapolitani aut  
 eruani, semper vivere Proregem ; quum iufficiat, mortuo eò,  
 vere Regem Hispaniæ, à quo jurisdicctio eorum pendet in esse.  
 t, inquis, quomodo Ecclesia semper infallibilis, si non semper  
 sa habet visibile caput? Dicam. Ecclesia, prout constituit unum  
 corpus è capite visibili & membris primariis visibilibus, dicitur  
 se semper infallibilis, non quod semper vocem infallibilem a-  
 u ex ore capitis emittat, sed quod non erret, quoties consen-  
 m generalem effert per suum illud caput. Non vero necessum  
 oc est semper fieri ; sicuti notum est. Ergo neque necessarium  
 lid, semper vivere Pontificem. **Quam rem paratus sum de-  
 arare uberius, quandocunque opus erit.**

XIX. De Pontificibus, legitimis sive canonice electis qui-  
 em, sed impiis, ais : Si Deus voluisset nos obedire Pontifici,  
 on permetteret Pontifices impios. Permittit hos autem. Non  
 go voluit illud.

XX, Re-

XX. Respondeo. Perinde est ac si diceret : Si Deus nos voluisset obedire Episcopis & Parochis, imo quemque suo magistratui seculari & parentibus, tum non permetteret Episcopos, Parochos, magistratus, & parentes, impios. Permittit hos autem ; sicuti permittit etiam , ut Satanas induat figuram Angeli lucis, permittetque ut Antichristus Iudæis credatur esse Messias; perinde atque diaboli, homines pessimi, atque etiam creaturæ, intellectu nullo præditæ, à multis Dii existimatæ. Non ergo voluit nos obedire Episcopis, Parochis, Regibus, Principibus, magistratibusque aliis, & parentibus. An nondum intelligis ? Non modo salute excidit, qui Pontifici inobediens est, sed &, qui Episcopo, Parocho, Regibus, Principibus, magistratibusq; aliis, & parentibus. Nempe quia Vicedii sunt omnes, quisque in suo genere ; & potestas omnium inde sacrosancta. Aliud autem est potestas ea, sive officii auctoritas, aliud mores privatim ejus, qui auctoritatem illam publicam gerit. Ad illam remisit nos Deus, non ad hosce. Neque polluitur illa malis moribus gerentis, sed tanto majori damnationi eum subijcit, quanto conspectius in se crimen ipse habet. Dum ergo nos doces insectari Pontificem, doces nos insectari simul Superiores omnes. An etiam bene doces ? Vel an Anabaptistas nos, quam Lutheranos, esse mavis ? Certe nec Deus Pontificem Veteris Testamenti esse voluit, si tu nos recte hinc doces.

XXI. At, inquis, si Papa potest esse impius, poterit Ecclesiam quoque totam hæresi inficere. Respondeo: Non statim, quod privatim potest, potest etiam publice: quia Deus non permittet ; quum promiserit, se non permissurum. Vel morietur Papa, tale quid moliens, vel impediatur alia ratione, vel ab Ecclesie membris ceteris Pontificatu exuetur penitus, nempe in tali casu potestatem eam in ipsum habentibus. Certe neque obligat alias doctrina Pontificis eo usque, priusquam recipiatur ab Ecclesie membris principibus ceteris: quare ne quidem ex imperitia Pontifex inducere errorem in fide potest: quanquam quomodo scientia ei deesse possit, stipato semper tot consiliariis, omnium, quæ creduntur & credita fuere, scientissimis ?

XXII. Quod dixi, adhuc dico ; nil malle me, quam ut Scripturæ textu vel unico dogma tuum quodpiam, fidei nostræ contrarium, evidenter mihi demonstrares è Scripturis, & futurum tunc



nunc me statim vestrum iterum, neque de ceteris disputaturum quidquam amplius. Et sic finio.

XXIII. ET sic finierim quidem, annis abhinc tredecim: quid necdum hic finio. Triumphavi, inquam: sed nunc erum triumpho, de Calixto, & grege ejus omni: triumphantibus mecum, quotquot eum norunt, Catholicis, utut membris Ecclesiæ, non triumphantis, sed militantis; contra istum enim omnem, sic devictum & subactum & confossum, non est quod nilitemus in hoc negotio quidquam amplius. Explodeturne in Saxonia triumphus hic noster? Tanto illustrior equidem, amænorque, nobis accidet. Qui enim explodet, explodendo adlaudet, futurus instar buccinæ, celebrantis meam gloriam; quæ amen haud est mea, sed ejus, quam, ut possum quidem, tueor, Ecclesiæ, matris ac reginæ meæ sacrosanctissimæ, sponsæ Regis Regum lectissimæ, amatissimæ, invictissimæque, Io triumphæ. *Te Deum laudamus.*

XXIV. Sed anno abhinc tertio, triumphans ego; multum explodebar à Calixto. quid si igitur explodar sic ab eodem denuo? Respondeo, quod mox ante respondi. Non sufficit? En additamentum. Qui, inquam, dicunt, explosum à Calixto Nihusium, injuriam Calixto faciunt. Negat ipse potius, id sese egisse. Quanam verborum formula? *Negotium cum Artifice mihi nullum fore, dudum innui.* quod innuebat, credo, cum scriberet inter alia: *Propter Artificem ne manum quidem verterim* Ad eoque negat passim, scripsisse se contra me aut scripturum etiam vel minimum unquam, ex quo nempe id magnitudine sua nimis foret indignum. Si nihil ipsi mecum fuit negotii, si contra me nihil scripsit, profecto nec explodit me. Deinde, explodendum sibi sumit solum Coloniensem librorum Censorem; quem proinde sic affatur: *Te, cum tuo, Imprimatur, & titulorum satellitio stipatum, alloquor; tecum mihi negotium fore, dudum innui.* Si solum illum explodit, non profecto explodit Nihusium. Ita, inquam, est. Ac satis hoc foret quidem; addimus nihilominus, quantumvis explodat Calixtus Censorem, non explodi hunc ab ipso tamen. Quamobrem vero? Quia, virum eum explodens, utut majoribus, quam Censor ille, titulis, *primarii* puta *maximique theologi, & incomparabilis viri*, sciens volensque exornetur

toto cœlo tamen aberrat. Neque enim Censor, licet scripserit, *Imprimatur*, jussit edi chartam Nihufii triumphalem; sed tantum, rogatu typographi, permisit. Non autem typographus efficit suum ac tenetur tueri, quicquid prælo subjicit; quanto minus ergo Censor? Immo Calixtus typographum, dum tacitus præterit, à culpa absolvit; quanto magis igitur, in recessu, Censorem? præsertim cum hic potestatem censoriam nequaquam acceperit cum onere propugnandi, quæcunque permiserit imprimi; sed sufficiat, si sequatur præscriptas muneri suo regulas, ubi continetur longe aliud. Petitne Calixtus Censorem tamen dicitur? Petat; sed is non petitur. Quis sic vero? Quia nequaquam est imitator Calixti, symbolum quidem habentis in ore, *Virescit vulnere virtus*, at in ore tantum. Ab hoc homuncione, quia percussente aëra, vulnus nullum accipit: immo, sicuti eodem plusquam centies est & sapientior & melior, ita propter ipsum ne manum quidem vertet, scio. Et quid faciet miser Calixtus, ubi Censor iste respondere nihil dignetur? Ploret affatim, per me licet. Interim absit, ut explosum revera Censorem arbitremur. Quem nec est quod suorum titulorum pudeat, quos gerit, ut suos alii Censores: haud jactans eos tamen, ut per discipulos Calixtus epitheta, *primarii maximique theologi, & incomparabilis viri*: sed solummodo exoratus, & in gratiam Nihufii quidem, à typographo; quod Nihufius de tantæ dignitatis Censore sibi esset gratulaturus, eamque dignitatem conspicuam esse desideraturus, quia honore vicissim omni dignissimum existimaturus virum, qui vir, cum non ita sollicitatur, à titulorum, utut sibi debitorum, solemnitate lubens abstinet; sicut identidem videre est in libris, quos adprobat, unde nec est, quod, fullo ipse, fulloniam discat à carbonario, aut urbanus civilitatem à theologastro quopiam Helmeſtetensi, *pleno viris & inficetarum*.

XXV. Quid vero ago? Itane sum hebes, ut non capiam, Calixtum fecisse, quod solent Rhetores, quando negant, se dicturos, quæ mox tamen dicunt, vel etiam quod faciebat stratio-ta, cum supercilio inficiatus, dignum, qui ab sese feriat, esse eum, cui colaphum inpegerat? Bene. Explosit ergo Nihufium, quid tum? Dicam. Explodendo me, ridiculum se præbuit mihi. Qua de causa enim explosit? Inter cætera, quia triumpharim ante pugnam. Siccinè vero latebat *primarium &*

*maxi-*

*aximum theologum, incomparabilemque virum*, triumphari crebro te pugnam, adeoque non raro triumphum hunc multo esse obiliorem altero, quæ pugna præcefferit? Rectissime triumphat, qui ante, quam hostis, qui belli semen jecerat, pugnare ceperit, cum, siue inermem siue imparatum, ad deditionem compellit, aut exterritum fugat? Triumphatne sæpius ita etiam ir bonus de calumniatore, in foro? Vah, quot ex exemplis obquam Calixtum hic, si velim! At quærere lubet ex ipso non nisi nicum. Citabatne, ad pugnandum coram Duce Georgio, Calixtus Buscherum, anno cix d ixc xl? Ita. Fuitne pugnatum? Nil minus: pugnam declinabat Buscherus, immo cedebat foro. Et Calixtus triumphabat tamen. Ergone explodi meretur, quia triumphus ille fuit ante pugnam?

XXVI. Atqui explodit me Calixtus alio insuper nomine. Scripseram enim, Ecclesiæ denegari à Calixto probationem omnem. sancte autem protestatur Calixtus, nunquam id sibi in mentem venisse. explodendus erat ergo triumphus Nihusianus. Ita Calixtus noster. Cæterum, negasne, Calixte, negasse te mihi, utut postulanti frequenter, demonstrationem omnem? Immo, non negas; sed affirmas, & quidem, quantum in te est, fortissime. Quid vero est, postulanti mihi denegare demonstrationem? Nil aliud, quam denegare eam Ecclesiæ: ex quo nempe, ut demonstrandum demonstrares Ecclesiæ, postulavi unice; quia non meam agens causam, ut homo privatus, verum Ecclesiæ; memor ejus, quod in Suscitabulo recitavi è S. Augustino: *Veritas tua, Domine, nec mea est, nec illius aut illius, sed omnium nostrum, quos ad ejus communionem publice vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ab ea.* Denegasti autem demonstrationem postulanti sic mihi: ergo Ecclesiæ; utut, huic illam abs te deberi, professus. Ergo triumphavi inde. An igitur non explodor abs te ridicule? Nemo nostratium dubitat. Anguilla es? Faxo, ne elabaris. teneo te; ficulno prehensum folio. Ais, non loquutum de Ecclesia te, sed de Nihusio. Sed quid ad me, immo quid ad rem, istud? Numquid non explicueram ego abunde, demonstrari solum Ecclesiæ me velle, quæ demonstrare tenearis? an, ergo torquenda erant abs te mea verba in sensum, quem non esse meum, satis perspexeras? Cur me non liquisti innominatum? an, quia personalia tractare magis amas, quam rea-

lia, ut canis, admordere potius lapidem, quam eum, qui lapidem jecerit? Sic multi quidem putant. Dicesne, minus perceptam tibi mentem nostram? Si feceris, prodes ingenii tui stupiditatem; quandoquidem sermo meus fuit lucidissimus. Vel, an non ex me, num sentirem, quæ sentire viderer tibi, quærere & potuisses & debuisses ante, quam exploderes me? neque enim intellectus dictorum meorum, qui prior dixi, nisi à me, petendus. Condonem tibi errorem? Nolo; quia te præstas indignum; quam diu, inquam, nec hostem exuis, nec deprecaris quidquam: nolo, ferendo injuriam veterem, invitare novam. Possem equidem omni merito postulare, ut & mihi privatim demonstrares demonstranda; nempe quia, ut scripsimus in Prologo, vehementer asseveras, & absque limitatione quidem, quicumque affirmet quid, negante alio, probare huic eum id semper debere; affirmas autem hic, me negante; & sic probare, non Ecclesiæ tantum, sed & mihi, privato homini, debes; præsertim cum neque alias quidquam solidi proferas, de quo contra me excipias. Verum, id missum facio. Ais denique, editum Ecclesiæ, matri nostræ, abs te specimen demonstrationis, in negotio de præcepto divinitus calicis Eucharistici usu, cuius Eucharistiam comedenti; non igitur demonstrationem ei abs te denegatam. Nego, id recte ita colligi. Ecclesiæ, inquam, & obtulisti demonstrationem & denegasti; tibimet contrarius ipsemet; sicut tuus est mos. Summam rei do. Ridicule meus à Calixto triumphus explosus est. Quod & ostendam amplius, opportunitate alia. Neque enim constitui, expectorare cogitata nunc omnia, sed solum præcludere actui, magis futuro serio.

XXVII. Quapropter immotissimus pergo triumphare de Calixto illic, ubi Ioannam Papissam contendit existisse, & mediam quidē inter Leonem IV & Benedictum III. Verum enimvero nequaquam ideo desero alterum, quod, quia magis recta petit jugulum fidei, sive nostræ Catholicæ, ubi Ecclesiæ quidem Calixtus erroris convicerit, sive Lutheranæ, ubi cum suis ipse in probando succubuerit, agitatur per me, jam inde ab anno MDCCXL in Apologetico, si non potius ab MDCCXXXI in Arte nova. Immo hoc ipsum & urgeo nunc & urgebo maxime; certissimus, futurum, ut illic triumphem itidem, Ecclesiæ nomine, si Deus valetudinem otiumque dederit, luculentissime,  
de

de Calixto & omnibus affectis ejus. Quodnam vero isthoc? Iam proxime ante in id delabebamur; & bene sic factum. Est illud de communione calicis Eucharistici, quam à Christo præceptam impliciter cuius manducanti, Ecclesia negat, Calixtus autem affirmat mordicus. At unde ita sine hæsitatione mihi polliceor triumphum ibi spondeoque? Hoc eventus docebit quam optime, internuncia praxi. Tantummodo rei indicium nunc prodeamus.

XXVIII. Ais, Calixte, demonstrasse te, quod in hoc negotio demonstrare tenebaris. Sed ais tantum. Non nisi obtulisti te ad peragendum istud; nihil vero peregisti. Quis sic? Quia non demonstrasti quidquam, nisi iudicio tuo; ut ut quam optime gnarus, respiciendum abs te potius fuisse, & unice quidem, iudicium nostrum; cum videlicet non tuæ sed nostræ sint partes Respondentis. Sicuti, inquam, non demonstrasti, Ecclesiæ legem de cœlibatu Cleri Latini, & doctrinam de merito bonorum operum, Scripturis divinis adversari, sed inanissima solum ebucinasti somnia; quam rem nos manifestam fecimus; partim in Arte nova & Apologetico, partim in Suscitabulo: ita eodem prorsus modo comparatum hic est. Hoc in faciem publice tibi dixit ante annum, laceffita abs te, Moguntia. Hoc in faciem tibi ego quoque dicam plenissime, suo tempore. Interim audiant in antecessum alii, qui voluerint, paucula. Prius Ecclesiæ mentem exponam, sed non nisi populariter: deinde ad objectiones Calixtinas me conferam.

XXIX. Quemadmodum, inquam, in Eucharistia duo sunt, species externæ panis ac vini, & sub iis latens Christus absque specie sua propria, seu quoad solam substantiam; ita & Christus totus atque indivisus adest sub utraq; specie, adest item totus & sub tota panis specie & sub quavis ejus particula, ut nec minus totus & sub specie vini tota, & sub quavis ejus guttula vel minima; perinde videlicet atque in suo genere Deus, ubicunque est, totus est, nec multiplex tamen inde fit, sed unicus permanet. Hoc notetur primo loco. Deinde, aliud est, agere de Eucharistiæ communione, non determinando, eamne intelligamus, quæ fiat sub specie utraque, vel an eam quæ percipiatur sub specie unica, seu panis, seu vini: aliud contra, sermonem facere determinate, sive de ea quæ fit sub utraque, sive de altera, quæ sub

sola specie panis, sive de tertia, quæ sub sola specie vini. Atque hoc notetur secundo loco. Porro, cum dixerimus, Christum, sive sub specie duplici adsit sive sub unica, adesse totum & unicum, sive neque divisum neque multiplicatum, ac præterea dixerimus, non solum communionem esse, quæ peragatur sub specie gemina, sed & quæ sub specie panis tantum, atque itidem, quæ tantum sub specie vini; patet, præter externas species, non plus uno Christo communicari nobis, cum utramque sumimus, neque minus, cum accipimus non nisi alterutram; atque ita participationem ejus, quod sub speciebus latet, æqualem quoad illud esse, sive sumatur species utraque, sive solum alterutra. Quibus tribus hypothesis ita præmissis, ad rem venimus, eamque summam explicamus hoc pacto. Communionem, indeterminate intellectam, Christus præcepit universo Christianorum cœtui. Præcepit item eam universo cœtui eorum, qui Eucharistiam conficiunt. Præcepit pariter huic cœtui, dare communionem cœtui alteri, sive eorum qui non conficiunt. Præcepit denique cœtui huic alteri universo, & petere eam à cœtu priore, & sumere. Sed notandum, non semper, quicquid universo cœtui præceptum à Christo, unicuique in eodem cœtu id præceptum ab ipso esse. Conficientibus quidem singulis, cum confecerint, præcepit absolute communionem: & hinc etiam videmus, ipsius voluntati isti satisfieri, non apud Latinos tantum, sed & apud Græcos, immo apud Christianos præterea in Asia & Africa, non Catholicos tantum, verum etiam cæteros omnes; observaturque adeo id in iisdem jam inde ab eo tempore, quum se Christo primum submiserunt; neque ulla hic inter Latinos & illos unquam deprehensa discrepantia, qualem experimur in septentrionalibus Europæis, postquam Lutherus, Calvinus & id genus alii Latini à Latinis defecerunt. An vero Christus præcepit itidem absolute, tum singulis conficientibus, ut communionem aliquibus reliquorum, eam petentibus, impertiant, tum eorundem reliquorum singulis, ut petant atque absument? Negamus. Præcepit solum utrisque sub conditione, ita ut Ecclesiæ reliquerit potestatem ingentem, vel permittendi solum communionem, vel præcipiendi imperio materno, vel etiam vetandi, sive ad tempus, puta quamdiu in idonens quis fuerit, aut alias ita multari promeritus, sive etiam usque ad halitum ipsius ultimum;

quem

uem postremum in modum vetuit eam aliquando nonnullis, ut gravissima admiserant scelera; sicuti interdum iisdem & abolitionem sacramentalem, ut ad bonam mentem reversis, delegavit; seculis nempe primis, quum disciplina rigidior ad sanctimoniam cogeret Christianos, quam sit hodie; quod &, post hos, Gabriel Albaspinæus, quem Calixtus legisse videri vult, notavit, in Observationibus, è monumentis antiquissimis: cuiusmodi profecto nihil fecisset Ecclesia, si, præceptam absolute communionem cuius à Christo esse, credidisset. conditionale autem hoc præceptum institutio solum dici in scholis consuevit à compluribus: quæ tamen institutio differt non nihil à matrimonii pro singulis institutione. Atque hæctenus de Communionem sic loquuti sumus, ut perinde sit, an intellexerimus eam, quæ sub utraque specie fiat, an illam, quæ sub sola alterutra, seu panis, seu vini. Quod jam determinate attinet communionem sub utraque, sine dubio præcepta est hæc à Christo singulis, qui, suis tenentes manibus panem & vinum, ex utroque Eucharistiam confecerint: observaturque mandatum istud, jam inde à Christianismi principio, apud omnes etiam Christianos, qui Latini non sunt, in Europa, Asia & Africa, solis Europæis illis aequilonaribus exceptis, quos à Latinis discessionem postremis hæc seculis fecisse, paullo ante agebamus. At nequaquam Christus præcepit singulis conficientibus, ut semper cæteros, ab iis rogati, communicent sub utraque; nec etiam præcepit iisdem cæteris, ut Eucharistiam sub utraque & postulent semper & sumant: sed potius reliquit Ecclesiæ potestatem amplissimam, pro varietate subditorum dispensandi hoc Sacramentum, & quidem vel permittendi genus communionis istud liberum cuius, vel præcipiendi omnibus aut solum aliquibus lege materna quapiam, eaque vel observanda quotiescunque communicetur, vel festis tantum solemnioribus, & hoc vicissim vel ubique vel in templis tantum. Adeoque nunquam prohibuit Salvator noster lege suamet ulla, communionem sub sola specie panis, aut etiam sub sola specie vini, impertiri non conficientibus, aut pro iisdem postulari; sed & sigillatim hac in re facultatem contulit Ecclesiæ, sinendi aut constituendi, quod ipsa consultissimum esse arbitrata sit: nempe quia Christus ipse iudicat, æque sufficienter communicari se totum, à sumentibus illis alteram tantum speciem,

atque à participantibus utramque. Hæc, inquam, Ecclesiæ nostræ Catholicæ sententia est, semperque fuit. Quanquam pluribus etiam explicari ea poterit, quando necessitas postulaverit.

XXX. Quid jam Calixtus contra Ecclesiam hic adfert? Cum Augustana Confessione inhæret verbis Christi: *Bibite ex hoc omnes*. Inhæreat. Inhæreamus & nos responso ad solam ipsius objectionem illam, sepositis cæteris. Verba, inquam, Salvatoris ista, non cuius manducaturus dicta sunt, sed solum universis ac singulis tunc præsentibus Apostolis. Institutus quidem & Calix pro aliis, non conficientibus; an vero & præceptus eorum unicuique absolute? Negamus. Neque institutio pro aliis illa efficitur è solo eo, *Bibite ex hoc omnes*; verum aliunde nota Catholicis est. Apud quos cernere tamen licet, recens consecratis Episcopis porrigi semper, à consecrante eos Episcopo, Calicem, perinde atque porrigebat Christus Apostolis, consecratis ab se se jamjam Episcopis primis; porrigi itidem à Rom. Pontifice, licet non semper cum conficit, ministrantibus sibi in Missa Cardinalibus, Diacono & Hypodiacono. Quid igitur causæ est Calixto, cur velit, præceptum à Christo calicem esse pluribus, quam iis ut summum, qui sunt Presbyteri majores, hoc est, Episcopi? Nihil penitus. At, inquit, si verbo *Bibite* nil absolute præcipitur cuius manducanti, nec verbo, *Edite*, præceptum cuiquam absolute quidquam erit; & sic nullum exstabit præceptum divinum absolutum de communionem ulla eorum, qui non conficiunt; hoc autem absurdum, fatentibus etiam Catholicis: ergo & illud. Respondet Moguntia, Ecclesiam nostram Catholicam id nequaquam confiteri; sed Calixtum vehementer hic errare. Et sic etiam est. Nam Ecclesia arcere homines ab Eucharistia ita, ut supra diximus, non posset, si divinitus absoluteque præceptus ejus usus cuilibet foret. Quare Andabatam egit hic nobis Calixtus, ut solet. Profecto, æque facile argumenta ipsius è Scripturis reliqua diluere, promptissimum nobis est. At ingentem scriptorum adducit farraginem, unde constat, primis undecim seculis usitatam fuisse communionem sub utraque. Constet; quid tum? an constat, factum id ideo, quod Ecclesia, præceptam absolute à Christo fuisse, crediderit ac docuerit? Nihil minus. Addit, veterum aliquibus, vel quoque recentiorum, agnitum fuisse Christi præceptum ejusmodi absolutum. Sed vera



vera id non demonstrat. agnoverint absolutum pro Christianis univērsis ; quod & Ecclesia agnoscit, ut supra vidimus. an vero & absolutum pro singulis non conficiētib⁹ hoc equidem Catholicorum, qui à Calixto nominantur, nemo quisquam dixit, nedum Ecclesia ipsamet. Soli maxime bibuli in septentrionalibus Europæis nuper demum de suo præceptum divinum istud absolutum somnare vigilantes ausi sunt. Ecce antiquitatem sententiæ Calixtinæ, à Calixto præclarissime, si diis placet, ostensam. Iam vero & universalitatem ejus jactitat. Omnes, inquit, Christiani, ubique terrarum, præter Latinos, communicant populum semper sub utraque, & quidem ideo, quia credunt, à Christo sic præceptum fuisse absolute. At, inquam ego, decumanum id mendacium est. Nam revera Græci & Orientales cæteri communicant suos, non solum sub utraque in templis, verum & alias creberrime sub una. Hoc manifestum fiet quam maxime, ubi luce donaverimus Leonis Allatii dissertationem excellentissimam de Missa præsanctificatorum. Sic, inquam, philosophatur contra Dei Ecclesiam Calixtus. Ingensne tamen ab eo concinnatum de hoc negotio volumen, anno CIO IOO XLII ? *O, quantum est in rebus inane ! Grandiusne tamen opus aliud molitur contra Moguntinos ? Auctor ego sim quidem, ut otium collocet alibi melius. Nam Turpe est, difficiles habere nugas, Et stultus labor est ineptiarum. Semet ipse conficiet miser. Saul Saul, quid me persequeris ? durum est tibi, contra stimulum calcitrare. Ita nostrates, nomine Ecclesiæ. Sed prodeat tamen, si fieri aliter nequit, cum suis contra Moguntinos catapultis. Adsumus accinctissimi. Declinaverint nostrorum aliqui agere cum homine, quod & maledicentissimus in Ecclesiam prior fuerit, nec amet pestilens eum, qui se corripit isto nomine, sed multo etiam fiat inde maledicentiôr, tantum non, ut Fimbria Scævola, accusans nos, quod non tota ejus tela corpore Christi, quod Ecclesia est, recipiamus, honorificeque gratias agamus. At non deerunt jam, qui tædium isthoc devoraturi, adeoque dicturi : Stabimus, & arcebitur nefas. Ego quidem ad Calixtinæ linguæ impotentiam occallui pridem : immo, quo ipse in me incurrit efferatius virulentiusque, eo magis inde saginor, nec senescere mihi videor animo, sed potius juvenescere. Nimis, inquam, imbellis ipse ubique & undiquaque ; videlicet quia non nisi telas aranearum*

texens, quodcumque scribit contra Ecclesiam. Triumphabitur igitur hic de ipso quoque, sine ullo dubio.

XXXI. Quanto facias rectius, mi Calixte, si, antequam & iudices errare nostram Ecclesiam, & argumentari serio contra eam occipias, è nostris, non contentiose, verum amice, saltem per epistolia, exquiras, an forsitan quid eis in tuo argumento occurrat, quod oculos tuos fugerit! Prudentiorem tunc equidem te ostendas, nostrosque certo reperias amantissimos tui, & libentissime quoque procuraturos tibi, si velis, familiarem noticiam doctissimorum in Ecclesia per totum mundum, nec non libros aut adminicula alia, quæ tuis rebus ùsui esse posse arbitraturus sis. Immo nec dubito, quin futurum, ut, ubi nostros audieris penitus, nunquam inducas animum, Ecclesiam arguere erroris in fide ullius, aut Opponentis actorisve munia subire. Verum cervicositas hæcenus tuæ non te finit amplecti consilium istud sanissimum saluberrimumque. Spernis id, quia temeritati assuevisti, quæ nimis profundas in tua mente radices egit. Ideo, tanquam certissimus de rebus omnibus, non nisi proterve dictatorieque nos affari soles, instar plagosi cujuspiam Orbilii; persuadens tibi, prorsus nihil eorum te latere, quæ scripta sint à nostris, & rem totam contineant. Sane legeris omnia; at nequaquam intelligis. Excandescesne ad verbum isthoc? Facile credimus; quia experti non semel, magis dominari tibi impetus passionum animi, quam dictamina rectæ rationis. Dicamne, quæ fiat, ut non assequaris mentem Catholicorum? Principiis imbutus tuus intellectus est longissime aliis, quam sunt principia sententiarum nostrarum; immo ab his illa è diametro dissident. Pronunciet quis, ita doctus, alphabeti literas medias, ut nos extremas; vocet item candidum quod nobis atrum est, & Aquilonem qui nobis Auster; & sic de cæteris: an homo ille sermonem nostrum intelliget unquam, ubi ante quidem è nobis principia illa nostra percipere, quieto animo, noluerit? Idem esto iudicium de re, quam sub manu habemus. Verbi gratia; per Ecclesiam Catholicam, sicuti & per communionem sanctorum, longe tu intelligis aliud, quam nos Catholici; & quemcunque Scripturæ textum allegas contra fidem nostram, quia allegas in sensu alieno, ideo non nisi verbum hominis est ille nobis, licet millies, voce plusquam Stentorea, proclamites, esse purum pu-  
tum

tum verbum Dei, simul provocans animosissime ad illud, *Verbum Domini manet in aeternum* : mitto innumera reliqua. Quid ergo mirum, si nescias, quid Catholici sentiant ? At, inquires, Lutherus ipse, & id genus plures, fuerunt initio Catholici, adeoque apud Catholicos Theologi ; & sic non potuerunt ignorare principia sententiarum Catholicarum : nec vero obliti eorum fuerint postea : cur ergo Lutheri progenies Calixtus, *primarius certe maximusque theologus*, ea ignoret ? At, inquam ego, antequam conderetur turris Babylonica, intelligebant se omnes invicem ; an vero & postea nemo non recordabatur linguæ pristinae ? Quin Diaboli quoque, & primi parentes, optime norant primitus ea principia, quæ à Deo acceperant ; ergo, postquam à Deo defecerunt, nulla ignorantiae nox intellectum hic eorum occupavit ? Homo sobrius item recordatur legis naturæ, & regularum vitæ plurium : an igitur & ebrius ? Quicumque autem à Deo deficit, aut à sponsa ejus, Ecclesia Catholica, è sobrio fit ebrius, efficitque ebrios, quoscumque acquirit affeclas, (perinde ac modicum fermenti totam corrumpit massam, nec non Adam infecit originali labe *Et natos natorum, Et qui nascentur ab illis* : ) & ebrietas quidem illa est ab amore sui & odio Ecclesiæ. Atque hanc ipsam ebrietatem regnare in te, Calixte, prodixi nimis quam abunde, passim. Si consultum vis tibi, quietem cape, & edormi, quod incauto tibi propinatum, in castris rebellantium reginæ ac matri Ecclesiæ. Hoc est ; sepone temerarium illum amorem tui, temerariumque istud brutumque odium in Ecclesiam, & pacato ac sereno animo, discendique avida mente, scrutare per literas funditus è nostris omnia ; ut ante dicebam. Cum enim de rebus humanis maximeque vulgaribus discordes mortalium sententias ac voluntates perennare necessum sit, nisi, philautia rejecta, odisse & contemnere alios desinamus, atque amanter plenissimeque nos invicem audiamus ; quanto magis id sectari debeamus in rebus divinis abstrusissimisque, & quidem post tot annorum dissidia, tricis indies involuta pluribus & quasi stabilita ? Quæ de re autem tractatio tibi nobiscum instituenda sit prima, satis audisti. Verbis, *Bibite ex hoc omnes*, contineri præceptum divinū, pro quovis Eucharistiam comedente, absolutum, & censetur firmiter, scio, & pronunciaisti volumine peculiari, anno MDCCXLII. Sed memineris, dictum abs te in Digressione : *Cæterum nostros*  
quoque

*quoque affectum erga suam sectam tantisper deponere oporteres. Sententiam itaque, abs te latam, diffimulemus tantisper; ac maneamus quidem, nos Catholici Respondentes, & tu Opponens, non tamen proferas tua ut Opponens, sed ut Consultor, sciscitans, quid nobis videatur, de iis, quæ, ad ostendendum præceptum istud, proponi ab Opponente posse, quasi suspicemini. Atque ibi tum respondebitur tibi à nobis honorifice; ut consultori à consiliario: sed ea tamen lege, ne desistamus ita agere, nisi ubi confecta penitus res fuerit; ut item, sicuti scis, à Catholicis damnatum iri Ecclesiam statim atque interrogando manuduxeris nos ad videndum præceptum illud, ita vicissim tu, quando, fieri id abs te non posse, patuerit, iudicium abs te contra nos promulgatum retractes, tuo chirographo, ante quam ad alia progrediamur; si forsan tibi placitum denique, ut hoc fiat. Ac putem, si vitaveris ambages, commutatis utrimque ter quaterve literis, absolvi totum negotium, & quidem facile, posse. Sin monitum hoc nostrum sincerissimum commodissimumque fastidians tamen, ceu scopulum summopere tibi meruendum, furdorum ac mutorum navigio prætervectus fueris, miserebit profecto me tui, ut miseret pridem.*

XXXII. Repeto. Si maluerit Calixtus permanere ebrius fatuo illo & amore sui & odio adversus Matrem, (quorum ille efficit, ut sapientissimum se esse fingat, ubi est insipientissimus, hoc vero, ut somniet, rudem esse Ecclesiam rerum, quarum est in universum sola scientissima,) revera miseret me ipsius. Quamquam & eo nomine hic homo, ut cum Moguntinis loquar, *miserandus magis quam formidandus*, quod de me, quem nihili ab sese fieri dicit quidem, queratur tantopere, ac proinde multo maxime de Academiis Catholicorum integris, quas in certamen, de fide & religione, evocat, sit questurus, ubi ab eis, probationem omnem, ac jure quidem, ut in Telescopio alibique differui, denegantibus, & adigatur ad probandum, ut à me adigitur, & excipiatur, ut dignus est, de injuriis prioribus. Querelam hominis unam, fatis equidem festivam, non possum quin commemorare ante, quam colophonem huic fermocinationi inponam. Altero abhinc anno, incidebat ex ipsius discipulis quidam in me, veniens Helmfeteto, miris modis æstuans, rusticeque ferociens, (ò mores, amabilibus Belgis exosissimos!) quod missum face-

re Calixtum, hac rerum tempestate, non possem, qui tantopere adamaret me atque in honore haberet, ut, inter alia, rogatu suo, tota Academia illa Iulia vetuisset, in manus hominum devenire juvenuli nescio cujus versiculos in Nihusium; ( illius, inquam, juvenuli, qui, in obitum Illustrissimi Ducis Georgii, carmen, ad orationis ab Henrico Julio Scheurlino habitæ calcem typis commissum, scripsit, syllabam vocis *vagus* priorem, quæ brevis est, producens in hexametro, *Ibit honos, gelida quando Scythia vagus in ora.* ) Quid, obsecro, accidere mihi magis ridiculum posset? ut qui eliciebam ex eloquio isto, proscribendos auctoritate Academiæ longe amplius libros Calixti contra Ecclesiam, utpote, in hanc & me, vel centies magis maledicos, quam sunt disticha ea puerilia, ( quibus haud gravius ego vulneror, quam leo proboscide culicis: ) nisi si Calixtus, maledicendi privilegium deberi sibi potius, tanquam in arte illâ rectius exercitato, voluerit. Quem Calixti discipulum ego, cum, quæ dixi, retulisset mihi, post unam atque alteram correptionem, quam dictabat misericordia, redditum paullo modestiorem, deducebam humanissime ad navem, qua perrecturus erat Hagam.

XXXIII. Sed vela contrahamus; & nostro ante annum fabricato Telescopio fiat locus; postquam nempe, tum in Prologo, tum in hoc ipso Epilogo, mentionem ejus injecimus. In quo scripto, sicuti & in meis omnibus, ne tam spectetur inculta dictio, quam res ipsa, peto magnopere. IX Febr. CIO IDCXLV.

BARTOLDI NIHVSII  
TELESCOPIVM,

Donatum in Germania genti Saxonum, ut  
urantur in fidei ac religionis negotio.

A P P R O B A T I O.

Ex commissione R. P. Petri Diez, è Societate IESV, SS. Theologiæ Doctoris, ac in Vniuersitate Moguntina Ven. Facultatis Theologiæ, pro tempore, Decani, &c. tres ejsdem Facultatis Doctores hoc Telescopium R. D. Bartoldi Nihuffii legerunt; & quia non modo Fidei Catholicæ, bonisque moribus non aduersatur, sed potius antiquissimam S. R. Ecclesiæ possessionem perspicua methodo demonstrat & asserit, utiliter typis mandari posse censuerunt.

*Ita restor Ego Iodocus Heinbuch, Notarius publicus,  
& Bidellus Vniuersitatis iuratus, Moguntia,  
29 Decembr. 1644.*

ILLVSTRISSIMO CELSISSI-  
MOQVE PRINCIPI

AUGUSTO,

Duci Brunsvicensium ac Luneburgensium.




*Illustriſſimam Celsitudinem tuam, ô ſidus ingens Germaniæ, animo perquam demisso alloquor hac lucubratiuncula, superiore quidem anno nata, sed postquam Vindicias Moguntinas videre contigit, relecta, & aucta paululum. Scripseram ante, nullam Catholicis necessitatem esse demonstrandi, quæ affirmant, negantibus Lutheranis. Indigne id acceptum ab Helmeſterenſibus. At non ideo statim apud nos falsum. Ac nescio, annon & Illuſtriſſima Celsitudo tua nobis adſtipulatura potius, ubi probe rem perceperit. Quicquid ſit; audiat ſaltem nos, immo & audire, ſi necdum ſatiſfacimus, porro dignetur, oro, obſecro, atque obteſtor. Sane quâdiu non penitus auditi erimus, contra iudicium, ſi quod in nos feratur, proteſtari poſſimus jure optimo. Dabam, ineunte Junio 1644.*

Ill<sup>mæ</sup> Celsitudinis Tuæ

*Servus humilimus*

BARTOLDVS NIHVSIVS.

Illustrissime ac Celsissime S. Rom. Imperii Princeps,  
Domine clementissime.

I.  Rodiit Helmeſteti, ſub exitū anni MDCLXII, adverſus Eccleſiam Catholicam aliquid; ubi & nominatim perſtringor ego. Qui cum videam, Celſitudini tuæ dedicatum librum eſſe; eandem adſari etiam licebit mihi, ſpero; ſeu potius, ut liceat, oro quam reverentiſſime.

Nec vero prolixitatem ſectabor; ſed ſolum tres breves ac ſimplices quæſtiones in medium proferam; dignas, ut arbitror, quæ à Celſitudine tua, ejuſve Conſiliariis, non ſpernantur omnino, ſed, ſi placuerit, & quidem una cum eo quod ſuper illis mihi in mentem venit, aliquantum conſiderentur.

II. Si, inquam, qui ſumus Chriſtiani, Synagogæ Judaicæ, religionem puram profeſſæ ſemper ab initio publice (quicquid fuerit interdum ibi de privatis quorundam opinionibus) & necdum antiquatæ, ſubditi una cum noſtris Principibus foremus, & Sadducæorum primi repudiarent partem dogmatum religionis iſtius, à Moyſis tempore ad ipſorum Sadoc uſque in Synagoga ea, & publice quidem ut diximus, traditorum; atque ibi tunc huius repudii cauſam reddere juſſi, reponerent nobis, non teneri ſe obſtriſtos ad id faciendum; immo contra contenderent, Synagogæ incumbere probationem affirmatarum adverſarum; adderentque, dum ſibi ab ea nihil harum probaretur, non deberi à ſe obedientiam Sacerdotio Aaronico; quin & ſibi licere ſubditos ejus plures in eaſdem ſecum ſententias pertrahere, adcoque Levitas, Sacerdotes, & Pontificem urbibus atque agris, nec non decimis, primitiis & primogenitis, & oblatiſ, proventibusque omnibus exuere: quid, obſecro, judicandum cenſeret hic tua Celſitudo? Deberentne Sadducæi iſti negativas, apoſtaſiæ ſuæ in fundamentum prætextas, probatum ire Synagogæ, an vero Synagoga potius affirmativas demonſtrare illis, & quidem ut Opponenſes Reſpondentibus, juſ in eos omne amiſſura, ac religionis in nonnullis innovatæ, ſeu ſubintroductarum pro legibus divinis ad inventionem humanarum, rea futura, niſi ipſos convinceret evidenter, ut aſſentirentur, & ſe victos faterentur? Hæc mearum quæſtionum prima eſt,

III. Si

III. Si Celsitudo item tua, jam inde ab Apostolorum ævo, publice, dogmata fidei nec plura nec pauciora, quam hodie credit, in ditione sua tradi curasset, ac jurisdictionem Episcopalem exercuisset, ut nunc exercet, nec non bonorum Ecclesiasticorum usum in sua potestate habuisset, nihil unquam aliud edocta, quam & Apostolorum & ipsius Christi consensum primitus in talia, atque auctoritatem, accessisse, neq; ab eo tempore interpolationem aut variationem, quoad ista, ullam irreplisse; jamque subditorum aliqui exsurgentes, rejectis nonnullis hujus tuæ fidei dogmatibus, in hæc verba erumperent: Princeps, in secularibus quidem negotiis dignitatem tuam ac potestatem agnoscimus & reveremur; quod vero cætera attinet, negare jam occupamus quædam fidei tuæ dogmata, negamus item, competere tibi jurisdictionem Ecclesiasticam in nos, aut etiam jus in bona illa sacra; tu vero, mera mentis opinione nixus, affirmas; aut igitur evince nobis ista omnia, quæ sic negamus, aut credere ea non ultra tecum tenemur, ut nec obedire tibi in rebus mere ecclesiasticis aut sacris; adeoque salva penitus conscientia occupare possumus templa & possessiones illas, & introducere ibi exercitium religionis, quæ nobis videtur pura demum esse & sincera, seu verbo Dei consentanea, & sic vere antiqua; neque vel mutire contra debes; aut armata manu non obistemus tantum, sed & bellum inferemus tibi, utpote non meliori Papistis, quos eo modo tractandos, in simili casu, censere solent (ut solebant olim Ariani, atque id genus cæteri, in Conciliis primis damnati) confessores Confessionis Augustanæ; qui confessores, ut scis, clamitant equidem, se non defecisse ab Romana Ecclesia, sed solum valedixisse novitatibus ejus, ad fidem & religionem ipsam nil pertinentibus, nec ob has damnare illam proprie, sed postulare solum, ut ipsa damnare desinat Evangelicos, tanquam inavosores jurium Romanorum, adeoque posita vehementia seu acerbitate, moderate agat, ac novitates illas valere itidem jubeat; sin minus, eodem jure se agere contra Ecclesiam Romanam, quo ipsa contra Evangelicos; partem enim solum eam esse, non totum Christianorum populum, sine cujus consensu (qui desit, sese dissentientibus) ejusmodi sententia Romana omnis nulla; at, Princeps, eodem jure & nos ita philosophamur contra te, ut qui multas adhuc Romanorum novitates & corruptelas



las retinuisti, ac pro articulis fidei, & quidem imperans, ( ac si imperari fides posset sine tyrannide,) obtrudere nobis porro velis ante quam probes, quemadmodum teneris, & evidenter quidem, nostro cœtui: Si, inquam denique ego, Celsitudinem tuam subditi isti honorarent sic & compellarent, quid, obsecro, dictura ipsa? optimone jure eos niti? an vero, nihil se teneri probare ipsis, sed ipsos potius negativas suas omnes Celsitudini tuæ, & nisi eam convincant, vel quiescere debere, vel perduellionis aut rebellionis reos fore? Estque nostra quæstio hæc secunda.

IV. Si denique neminem, nisi Deum, superiorem in mere secularibus Celsitudo tua cum suis majoribus noverit jam inde ab aliquot seculis, & exoriantur in subiectis ditioni tuæ, negare aucti, obediendum tibi amplius, nisi, qui hoc ipsum affirmes, apodictice ostendas, eaque negatione in basin posita, imperii tui jugo, quod sustinuerint hætenus, excusso, alliciant subditos etiam plures in suam sententiam, eorumque ope adjuti, occupent arces tuas ac fundos; ac, si vel hiscas contra, convitiis te proscindant; sin vero perduelles vocites, crepta repetas, ac puniturus videaris insolentiam istam, aut grassari ulterius eos haud permittiturus, indignentur, tanquam gravissime abs te læsi, adeoque coram universo mundo queruli, adoriantur te sermone hujusmodi: Non satis est, ô homo, imaginari te tibi multa contra nos, qui non assentiri temere sed in probationes rerum omnium inquirere nati; proba nobis igitur, deberi tibi à nobis obedientiam; proba, rite consensisse majores nostros in potestates, quas usurpasti hætenus; res enim facti est; proba, potuisse eos præjudicare nobis in negotio concernente libertatem hominum ejusdem speciei, aut etiam rem tantam intellexisse, seu politico-  
rum technis noscendis pares fuisse; proba, sententias, quas animo tuo profunde infixas contra nos & radicatatas foves ac præ-  
tendis, de possessione, præscriptione, ac similibus, divinorum quasi oraculorum instar adorandas esse aut exosculandas à nobis; proba, inquam, ista & id genus reliqua omnia, quæ affirmas, nobis negantibus, & meras nugas, vexandæ tantum simplicitati stupidorum ac miserorum excogitatas astute atque introductas, esse censentibus, donec probentur quidem ex utrimque concessis, adeoque sine ulla petitione principii ac circulo; quod si in probando apud nos, nostre judicio, vel minimum defe-

ceris, de tota caussa tua actum erit; negasne, te nobis debitorem esse probationis ullius? bene; iustissime igitur sapientissimeque egimus, dum tibi nos opposuimus; affirmanti enim incumbere probandi onus, clamat contra te pro nobis totus orbis terrarum; tuque adeo, dum perduelles nos dicis, & alienorum raptores, maledicentissimus es, injuriaque atrocissima nos infantissimos afficis; filiorum Dei sunt omnia, soli nos autem genuini filii Dei sumus; quia solis nobis nunc tandem oborta lux divina cœlitus; quidni ergo repetamus, quicquid ita per fraudem ereptum est nostris majoribus, quum adhuc ambularent palpitantes in tenebris politicis & juridicis, ipsa nocte superstitionum & corruptelarum & abominationum papisticarum non minus profundis ac turpibus? profecto, dum nihil nobis probas, defectionis nostræ discordiæve caussa tibi soli adscribenda est; dum refragaris eum in modum, rebellis nobis es; dum pœnas minitaris, conscientiarum nostrarum tortorem te facis, Muhametanorum Imperatore atque etiam Antichristo ipso deterior es, puniendus ac profligandus ipsemet es; nam, qui regunt alios, non auctoritate sed solum consilio regere debent, nec rempublicam constituere magis, quam medici diversarum civitatum; quid enim ejusmodi rectores aliud, nisi medici civiles in civilibus? Hæc, inquam, Princeps Illustrissime, si vociferari occipiant subditi tui, (contingere autem tale quid potest, cum similia contigerint, furiis agitato Thoma Monetario cum sui similibus, ac nominari loca queant, ubi contingit etiam hodie,) quid, oro atque obsecro, Celsitudo tua judicatura sit? Teneaturne sua, quæ affirmet, probare istis, ita negantibus? & quamdiu ipsos non converterit pertraxeritque in suam sententiam, rectene illi & jure, non solum accusent sic Celsitudinem tuam, sed & contra eandem, tum testium in propria caussa, tum judicum insuper, & publicorum quidem, atque exsequutorum, personam sumant? Atque hæc est quæstio mea tertia, & nunc postrema.

V. Possẽm quidẽ collimantes eodem casus conscientiæ plures, mente conceptos, proferre: sed nolo Celsitudini tuæ gravis ultra esse: quæ nonnihil pensari tria saltem interrogata illa permittet, ut spero: merentur enim, quantum ego quidem rem intelligo. Catholici interim nostri (si, mentem horum paucis aperire, fas est) sic sentiunt; contra omnem rectam rationem ita facturos

cturos ejusmodi illos & Sadducæos & Illustrissimæ Celſitudinis tuæ ſubditos. Hoc unum eſt. Dicunt ſecundo ; quo jure procederent eum in modum Sadducæi contra Synagogam, ſi auctoritas hujus adhuc foret integra, ac ſubditi etiam illi adverſus Celſitudinem tuam, in rebus, tum fidei & eccleſiaſticis, tum ſecularibus ; eodem proſus nec meliore jure proceſſiſſe in Germania noſtra contra Eccleſiam Catholicam, & procedere, qui ejusdem Eccleſiæ, tanquam Reipublicæ ſacræ, non à conſenſu hominum, ſed, ut Synagoga olim, à Deo ipſomet juridiſtinctionem adeptæ, & ſic arbitrio populi neutiſquam ſubjectæ, filii ac ſubditi in ſuis majoribus fuerunt: ac proinde in cauſſis, cur ipſorum fides & religio nequaquam tenenda aut amplexanda ſit, à Caſpare Vlenbergio, gravi admodum pioque viro, qui Colonia ſcripſit anno C I D I D LXXXIX, rectiſſime ſolidiſſimeque ſtatuī illam, quod cum Eccleſia, Chriſti ſponſa, matre ſua in terris & rectrice ſuprema, ipſiusmet Spiritus Sancti præſidio perenni ſtabilita, ſic egerint, ut accuſare eā innovatæ fidei, immo teſtes in propria ea cauſſa, & quod amplius eſt, judiciſ ſuæ judices, ac ſententiæ ab ſemetiſſis latae exlequutores, contra omnia divina atque humana jura, eſſe auſi fuerint. Cujusmodi ſane proceſſum ne contra Synagogam quidem ipſam, licet non manſuram ad mundi finem, ut manebit Eccleſia noſtra, ſed abrogandam, Chriſtus ( qui uſurpare certe potuiſſet, quandoquidem Deus erat ) uſurpavit, aut ſuos, qui itidem erant nati atque educati ſub lege Moſaica, vel etiam in rebus publicis paganis, docuit, aut ab ipſamet etiā Novi Teſtamenti Eccleſia, ſponſa ſua, aciei exercitus inſtar ordinata ac terribili, uſurpari voluit adverſus ethnicorum ullum, utut omnes hi defecerint olim à cultu Numinis ; unde, nec laudat Eccleſia Principes ſuos ſeculares, eorumve miniſtros, qui contra faciunt, juſtis belli cauſſis aliis deſtituti ; neque enim, ſicut Iſraelitis, qui juridiſtinctione ſeculari ſimul pollebant, facta divinitus poteſtas occupandi Palæſtinam armata manu, ita & Eccleſia facultatem ejusmodi à Chriſto accepit unquam. Neque refert, ſi quis dicturus ſit, controverſum eſſe, quod præſupponimus, Eccleſiam eſſe rempublicam ſacram unicam, cujus regimen, & monarchicum quidem, ab ipſo Chriſto inſtitutum, cui ſubſit in Eccleſiaſticis poteſtas Chriſtianorum regia, perinde atque ſubſt huic in regalibus poteſtas patrum familias œconomica ; non ergo

præsupponendum id apud negantes, sed eis prius probandum. Eodem enim modo dicerent & Sadducæi illi contra Synagogam, & subditi isti Celsitudinis tuæ, adversus ejusdem auctoritatem, tum in Ecclesiasticis, tum in civilibus. Non mirum autem, quod hinc tua Celsitudo dicet, id Ecclesiam hinc pro sese quoque dicturam, ac tanto confidentius quidem, quanto certior est, solam se Christi sponsam esse, & incorruptam in fide permanisse, per Spiritus Sancti gratiam, nunquam deficientem, & adhuc minus quam Synagogam subesse arbitrio populi aut meri Regis ullius, quum non à cōsensu humano, sed solum à Deo originem ducat, inque iis negotiis regimen teneat, quibus & negotia regia subordinata, cum regnis ipsis, quia ut minoribus ac pluribus, sic & inferioribus, & multo magis quidem subordinata, quam, apud Aristotelem in Ethicis, ars frenofactoria disciplinæ equestri, & hæc auctoritati imperatoriæ; adeo ut, qui potestatem regiam non submittat fascibus Christi; conculcet Regem regum hunc prorsus impie, vel certe ignoret: quicquid hinc tandem negent, quos nihil hinc didicisse aut posse nisi negare, & in sola negatione fundamentum suæ sententiæ contrariæ atq; actionum omnium ponere, non tantum anno MDCCV Antonius Faber, I Ctus, verum & multo ante, anno MDLXXI, Nicolaus Sanderus, Theologus, verissime sapientissimeque scriptum de iis reliquit; sicuti & jam anno MDCCXI, Eccius ille alter, qui fuit Officialis Trevirensis & orator Caroli V, Wormatiæ, Lutherum ipsum, quia non nisi negantem ac probationes flagitantem, rejecit; ut lego in charta, quam, à Luthero ipsomet editam, refert etiam in Annalibus Bzovius. Addunt nostri tertio, eos, qui doceant, in casu hoc nostro, affirmanti incumbere probationem, & si in probando, apud ipsos, deficiat, causa eum cadere, & schismatis omniumque inde consequentium calamitatum ac malorum causam esse; hos, inquam, qui sic speculentur, nostri ajunt esse hostes Celsitudinis tuæ, Principumque Confessioni Augustanæ deditorum omnium, adeoque hoc agere, ut subditis eorum instillent amorem anarchiæ atq; autonomiæ, istosve subditos exsuscitent armentque, non solum in rebus fidei, pro Photinianis aut Anabaptistis, sed & in ecclesiasticis, ordinem quoq; togatorum concionatorum, Superintendentumque specialium, generalium & generalissimorum, spectantibus,

bus, immo & in mere politicis negotiis, adversus legitimos suos illos dominos ; utque adhuc loquar clarius, hoc illos agere , ut mundum universum turbent atque invertant. Et sic etiam est. Si cui enim libeat negare, quæ Ieroboam eripuit familiæ Leviticæ in regno Israël, ad Levitas jure illa pertinuisse ; filios parentibus, discipulos magistris, milites ducibus parere debere ; affirmativas omnes Iurisconsultorum & Medicorum & Philosophorum , & quorumcunque doctorum aliorum , salutares esse generi humano ; consuetudines esse & historias quæ putantur à prudentibus esse consuetudines & historiæ ; vocum ac phrasium linguæ vernaculæ, quin & characterum alphabeticorum acceptiones ante centum annos fuisse quæ nunc sunt ; Scripturas esse verbum Dei; fuisse Moysen ; fuisse & vera docuisse Christum, (à quorum utroque leges sine ulla demonstratione latas esse, Galenus culpatur ; ) esse animas hominum immortales ; esse Deum ; vera esse principia prima practica & speculativa ; qui habentur in hominibus legitime natis atque honestis, eos esse tales ; quæcunque possidentur, legitime possideri; quæcunque affirmantur, tum in thesibus quibuscunque à Respondente, tum alias, vera esse : Si quis, inquam, negare ita quidvis occipiat, an non huic animum addituri sint, qui suggerunt, affirmanti incumbere onus probandi, & probandi quidem, tum ex iis tantum principiis, quæ concedat is, qui, sibi esse liberum negare omnia, putet, tum eo modo tantum, qui ipsi arrideat ; negantem autem, suggerunt, ab onere probandi solum penitus esse, quia negatio sit instar mille probationum, immo negatio ea neganti det simul potestatem statuendi sententias, affirmanti adversas, quascunque voluerit, & statuendi quidem eas ante, quam sufficienter audierit perceperitque mentem affirmantis, quin & invadendi simul & vel retinendi vel destruendi omnia incorporalia & corporalia, quibus affirmans ille, ut suis, sive ut possessor aut quasi possessor, usus hæctenus ? unico verbo ; an non patroni exoptatissimi futuri sint, non dicam atheorum, & aliena furari amanti, sed stultorum omnium, ex quo nempe, ut in proverbio est, horum unus, maxime postquam edoctus fuit, contra negantem principia non esse disputandum, plus negare potest, quam centum sapientes ei probare ? Sic, inquam, nostri.

**V I.** Attamen, *affirmanti incumbere probationem*, axioma, in-

quint, est notissimum tritissimumque ; quid ergo de eo fiet ? Scio, esse ; universaliterne verum autem ? Nego : immo negabat & Helmeſteti Cornelius Martinus, quum scriberet, quod reulimus in Apologetici Corollario, *non semper verum esse, quod affirmanti incumbat probatio, cum nemo theses suas probare teneatur*. Affirmat quis igitur sine distinctione, seu limitatione, axioma illud, nobis negantibus, nec probat tamen ? Ergo caussa cecidit. Ecce, quomodo seipſos jugulant, qui affirmans axioma hoc adducunt contra Ecclesiam ? Porro, nequaquam hosce remittere opus est ad Pontificii Cæsareique juris consultos, qui de probanda etiam negativa disputant, ad Mascardum, puta, & Pacianum, innumerosque cæteros ; in quibus tractant hoc unicum Franciscus Herculanus Perusinus & Martinus de Fano : agunt hi enim de illis casibus forensibus, ubi Actor, Reus, Testis, & Iudex, ut plurimum quatuor diversæ solent esse personæ. At in nostro, de quo agimus, casu, sunt personæ solum duæ ; Ecclesia Catholica per suorum filiorum quæpiam, ut Respondens ; & Ecclesiæ subditus quispiam dyscolus & refractarius ( ut nostri quidem loqui solent ) tanquam Opponens: Respondentis vero est hîc, ut alioqui semper, judicare, an ab Opponente convictus sit vel non sit ; eique iudicio Opponens acquiescere debet, sive Respondenti invito nihil ultra negotii facessere. Respondentis autem partes competere Ecclesiæ, tam apud nos liquidum est, quam est liquidum, competere eas tum Synagogæ, si necdum abrogata illa sit, contra Sadducæos aut sectarios in Iudæorum gente alios, tum Illustrissimæ etiam Celsitudini tuæ contra suos subditos, in ecclesiasticis & politicis rebelles, ubi quidem eos velit audire : ut enim diximus, frustra negetur nobis, Ecclesiam nostrâ esse rempublicam sacram, à Christo ipsomet conditam, atque ad mundi finem usque duraturam, cui subiecti, in rebus fidei & ecclesiasticis, etiam Reges Christiani omnes, ut quilibet patrum familias regi suo : si enim, id negare, satis fuerit, satis etiam sit, si Sadducæus ac Ieroboam neget, à Deo conditam Synagogam primitus & assignatas possessiones tribui Leviticæ simpliciter pro cultu Numinis, Ierosolymis futuro ; satis itidem sit, si Celsitudinis tuæ subditus neget, potitâ eam jurisdictione bono titulo ; immo satis fuerit, si, quicquid à quocunque in quocunque genere affirmetur, neget quis, affirmativas omnes & singulas nil nisi vanas futi-

lesque

lesque mentium ridicularum persuasiones esse sentiens. Frustra vero etiam dicatur, patrocinaturum id rebus publicis ethnicorum contra ipsarum subditos, qui facti fuerint Christiani; neque enim Christus voluit, ut hi sic agerent adversus Principes suos ethnicos, quemadmodum agunt Lutherani adversus Ecclesiam; cui fuisse se subditos, ne ipsimet quidē inficiantur, (quam nempe aperte potius profiteantur, jugum Ecclesiæ Papisticæ se excussisse, ac discessionem ab ea fecisse, saltem quoad omnes ejus in fide, quas vocant, novitates & corruptelas;) sed voluit Salvator potius, ut crederent solum obedientissimi Evangelio, idque se facere profiterentur, ubi necessum foret, coram hominibus, vel docerent ipsum illud quoque, & à Deo se ad docendum missos, miraculis comprobatum darent, non autem rebelarent istis persecutoribus, aut in eorum bona involarent, sed ut agni, os suum in verba, indignationem aut vindictæ cupidinem arguentia, non aperientes, paterentur quidvis, etiam mortem ipsam, utut acerbissimam. Quod & è supra dictis colligere promptum est. Sicuti neque Deus voluit, ut, quomodo Lutherani egerunt cum Ecclesia, ita agerent Israëlita in Ægypto cum Pharaone, sed potius, ut ab eo dimissionem peterent, seque ad migrandum vocatos divinitus, multis ingentibusque prodigiis testatum per Moysen ante abitum redderent. Cujusmodi divinorum prodigiorum ne vel minimum quidem fecere Lutherani unquam; nam quod dicunt, miraculum esse, quod repente tot simul populi facti sint absque miraculis Lutherani; ac proinde exclamitant, *A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris*, id perinde est apud nos, ac si dixissent idem de sese olim Ariani & similes hæretici, vel Ieroboam quoque cum suis, aut Core, Dathan atque Abiron, seducentes populum à Domino ac Moysè, immo, cum ethnicis omnibus, omnes insuper diaboli. Non, inquam, Christus voluit, ut sui erga Principes paganos ita se gererent. Licet enim ethnici primi defecerint, alii prius, alii posterius, à Patriarchis antiquissimis, (quorum, recte Deum colentium, series & successio, ab Adamo deducta, beneficio divino, & continuata, ut enumerentur in Scripturis hoc ordine; I *Adam*, II *Seth*, III *Enos*, IV *Cainan*, V *Malaleel*, VI *Iared*, VII *Henoch*, VIII *Méthusala*, IX *Lamech*, X *Noë*, XI *Sem*, XII *Arphaxad*, XIII *Cainan posterior*, XIV *Sale*, XV *Heber*, XVI *Phaleg*, XVII *Reu*,

XVIII *Sarug*, XIX *Nachor*, XX *Thare*; XXI *Abraham*, XXII *Isaac*,  
 XXIII *Jacob*, XXIV *Levi*, XXV *Caath*, XXVI *Amram*, pater *Aaronis*,  
 qui frater *Moyfis*, & Synagogæ Pontifex ordinarius primus,  
 sicuti ultimus dein fuit ille, cujus tempore Pontificatum æternum  
 iniit IESVS CHRISTVS, relicto, in Ecclesia militante, cum,  
 in cœlos ascendens, triumphanti daret initium, Vicario generali,  
*Simone Petro*, ejusque successoribus ad mundi finem usque  
 futuris, quorum hodie postremus *Vrbannus VIII*;) non tamen  
 ita defecerunt, ut rebellis Christianus defecit ab Ecclesia Catho-  
 lica, aut etiam ut *Sadoc* & *Ieroboam* & *Core* cum suis defecerunt  
 à Synagoga; neque enim ante *Moysem* talis respublica sacra,  
 cujus imperio subessent, qui à Patriarchis abierunt inhabitatum  
 terras alias, à Deo instituta fuit, postquam justo ejus judicio,  
 in pœnam peccati primorum parentum, si non & *Caini* ac *similium*,  
 & ut experientia doceret, quam pestilens esset amor anarchiæ,  
 perierat regimen generis humani tale monarchicum sacrum,  
 quale mansit inter Angelos, ab Angelis malis desertos,  
 (quidni enim *Adam*, si lapsus non esset, generis humani fuisset  
 monarcha, inque cœlos translatus auctoritatis hujus heredem  
 reliquisset filium primogenitum, nullius itidem peccati reum;  
 quum tale sit regimen in Angelis cœlestibus?) verum à  
 Patriarchis, non solum ante diluuium, sed & postea, (licet forsan  
 his aliquando, in veri numinis cultu se perfituros, juraverint,)  
 emancipati fuisse videntur; secus quam se res habebat de *Iudæis*,  
 regiones exteris incolentibus; qui Synagogæ subditi mansere,  
 ita ut inde *Saulus Damascum* iret, *Iudæos*, qui ad Christum  
 conversi, victos perducturus in *Ierusalem*. Quibus de rebus  
 suo loco plenius. Immo Respondentis partes ac jura deberi Ec-  
 clesiæ nostræ, & Lutheranis partes atque onera Opponentis,  
 quando nos cum ipsis tractare volumus; tam est manifestum, ut  
 complures, etiam non Catholici, & viri quidem ingenio atque  
 eruditione profecto præditi, id agnoscant; quorum & attestatio-  
 nes producere, si necessum foret, possem, sicuti produxi in  
*Irnerii Epilogo* epistolam unius eorum, qui *Calixtum* & *Horneium*  
 tam bene forsan, quam ego, novit. Reus quidem in foro civili,  
 quum excipit contra Actorem, sæpe fit Actor: at, sicuti non  
 tenetur id fieri, quando accusationibus impetitur à subdito,  
 & est supremus ejus *Iudex*; ita & in præfenti casu se res habet;  
 ubi,



ubi, juxta nostram sententiam, subditus Ecclesiæ refractarius est Opponens, & Ecclesia, quæ in ejusmodi negotiis nemini subiecta nisi Deo, Respondens. Ne dicam, quod in universum quoque alias Respondens quivis, sive solus, sive altero superior, (quem superiorem vocant Præsidentem,) sit judex Opponentis, à quo provocare, in eo quidem foro dialectico, non datur. Quod ipsum, sic delibatum, non expedimus pluribus; quum necessitas hîc necdum postulet.

VII. Hoc igitur constituto, Ecclesia clare animi sui sensa expromit per nos hunc in modum. Ait, licet alias, & proprie quidem, sui sit muneris, & doctricem discipulorum agere, & præcipere Christianis ut credant, quæ credenda esse, nomine Christi docuerit, (fidei enim dogmata sunt leges Christi, & has Ecclesia, cum auctoritate itidem, ut Regina ac mater, suo illo Rege visibiliter absente, acceptari jubet,) in præsentia tamen, seposita & doctricis & ejusmodi præceptricis persona, non affirmare se unquam, sed semper negare: neq; enim, in hoc inquam casu, aliud se eloqui, quam, sibi non constare de falsitate ullius dogmatis fidei suæ, aut etiã veritate eorum, quæ contra adferantur ab Opponente. Quamdiu autem quis aliud non eloquitur, probare non tenetur. Quod usque adeo verum est, ut ne quidem desertor & adversarius Ecclesiæ, probare quidquam teneatur, quamdiu sentiat secum, non constare sibi de veritate dogmatum fidei nostræ Catholicæ, nec ulterius progrediatur in Ecclesiæ præjudicium; sicuti & in eo casu necdum Opponens est, immo ne contradictor quidem, proprie loquendo; unde nec sententiã adversus eum Ecclesia pronunciandi jus habet, quippe de sibi occultis haud judicans. Contra autem Lutherani; quum procedunt ulterius, & rectè accusant Ecclesiam innovatã alicubi, seu, quoad nonnulla, introductã recens & sic falsatã fidei; semper affirmant, ac proinde probare, si postulemus, tenentur. Semper, inquam, affirmant; quia non solum proferunt negantem; verbi causa, *non esse septem Sacramenta*; sed, judicium de negante ea & opposita affirmante suum affirmativum proferentes, ita loquuntur vel loqui videri volunt: Nos certi sumus de eo, quod & rectè loquatur, qui dicit, non esse septem Sacramenta, & errer, qui dicit, esse septem Sacramenta, & Ecclesiæ, secus sentienti, teneri nos obedire, aut etiã templa & bona sacra re-

linquere seu ablata restituere: quod profecto non est negare, sed affirmare aliquid de enunciato negante contrarioque affirmante. Summa est; omnis Respondens & Reus, quatenus talis, negat; omnis autem Opponens & Actor, quatenus talis, dicit seu affirmat: Respondenti itaque nunquam incumbit probatio, sed Opponenti incumbit semper. Neque mens alia est axiomatis, de quo agimus, legumve, decernentium, *non neganti sed dicenti incumbere probationem.* Quod & monui ego nonnihil in Apologético Corollario, & ostendit quã optime Veronius noster, distinguens, & una cum Iulio Pacio quidem, inter negationem & affirmationem Philosophicam, ut ipse quidem vocat, & juridicam, operum, Parisiis anno MDCCCXXXVI II editorum, parte I, tractatu II, cap. VII II, num. VI. Estq; res tam liquida Tironibusque comperta passim, ut mirum sit, sensum axiomatis genuinum illum ignorari tamen adhuc ab iis, qui magni doctores videri volunt, sapientioresque Papistis & Iurisconsultis omnibus. Porro, Ecclesia, postquam Lutheranos audiit, iudicat quidem, nihil eos probare; & sic tum non amplius negat: sed hoc ipsos nihil tunc iuvat, quum non probarint, quod asseverant, subditos ei se non esse. Quin & alioqui suas affirmativas docet; at quatenus doctrix est, Opponens nequaquam est; sed fundamenta solum sua aperit atque illustrat, nec non, quæ pugnare videntur, conciliat. Hoc ipsum autem non facit ejusmodi subditis, qui adversarii proprie & actores sunt, discipuli autem esse revera nolunt: à quibus proinde probationes, quas dari non posse scit, postulat, sumta per quempiam Respondentis persona, ut patescat eis probationum, quas adferant, infirmitas; quibus quamdiu fidunt, doceri nequeunt. Quod alibi exponam fusius. Quapropter manet inconcussum, quod dixi; Ecclesiam, quia Ream seu accusatam, negare solum contra Lutheranos, & sic ad probandum non teneri; Lutheranos vero, quia Opponentes & actores, affirmare semper, & sic teneri probare, quoties postulaverimus quidem; & quando deficiant in probando, causa cadere, omniaque in integrum restituere debere, quæ sustulerunt innovaruntve in Ecclesiæ præjudicium. Faber Iurisconsultus, & Sanderus Theologus, ajunt quidem, hæreticos negare solum nostra; sed tum hoc volunt, mendacii accusari ab hæreticis nostra; quod est dicere certam animi sententiam, seu affirmare; unde  
& Fa-

& Faber addit expresse, *negando eos affirmare*, sicuti & quæ statuunt contra nos, nullo modo probata dare, sed aëri solum inædificare.

VIII. Atque ita Illustrissimæ Celſitudini tuæ gustum etiam aliquem dedi eorum, quæ de probandi onere sentiunt Catholici. Unde patet, satis imperite illis objici ac sine fine inculcari, *quod soli affirmanti incumbat probatio*; nec profecto ab iis, qui id in ore sic semper habent, recte intelligi. Quæ tota res ut explicari ac defendi pluribus alias poterit, ita saltem notari nunc peto, quod si etiam verum sit, Ecclesiam nostram Catholicam & affirmare multa contra Lutheranos, & probare eis debere quicquid sic affirmet, frustra tamen Lutheranos probationem ab ipsa ullam postulare, ut Respondentes quidem ab Opponente. Quamobrem vero? Quia Lutherani fatentur ultro, affirmari à se aliqua contra Catholicos, atq; ad probandum ea, se teneri; immo ad probandum ultro sese priores offerunt Helmesteti. Probent igitur horum solum unicum argumento unico, & quidem tali, quod putent esse omnium evidentissimum penetrantissimumque, seu ad convincendos nos maxime idoneum. Si fecerint, nosque convicerint; relicta mox Ecclesia nostra cum affirmativis ipsius controversis omnibus, siemus itidem Lutherani, quoad omnia cætera; nam id ipsum in potestate nostra tunc omnino est. Si vero non convicerint, idem erit nostrum iudicium de universis ipsorum reliquis affirmativis ac negativis, fidei nostræ ac religioni adversantibus. Quum enim fortissimum eorum argumentum nihili est, multo magis nihili erunt reliqua. Et sic reverti ad nos debebunt, & captivato in obsequium intellectu credere nobiscum omnia, (si non fide supernaturali, quam absque Dei gratia peculiari nemo obtinere potest, saltem tali, quæ cadit in Arianum aut similem, aliqua nobiscum credentem, atque in Catholicos, post obitum damnatos, vel certe dæmonas, ut quos & ipsos credere Scriptura testatur,) aut iudicium de credendis naturale seponere potius quam iis opponere, vel irritas ut minimum reddere, ut dixi, sententias omnes, contra nos latas, & exsequutiones, inque integrum restituere usum jurisdictionis Episcopalis & bonorum Ecclesiasticorum omnium; resistentia violenta & concussione omnio-missa, quia contra stimulum calcitrante cum Saulo, quum perfe-

persequeretur Christum. Aut enim Ecclesia facile tunc eos in-  
formabit, nostrasque sententias cum Scripturis veritatibusque  
aliis dulciter conspirare ostendet, (merum enim somnium est,  
fidem nostram cum illis pugnare, perinde atq; merum somnium  
est, contradicere interdum etiam Scripturam sibi ipsi, quum  
nempe homines conciliare eam clare nequeunt,) aut si capere  
nostra non potuerint, nec nocēbunt Ecclesiæ, matri nostræ, aut  
obstent; quia nullo ejusmodi contra ipsam jure muniti aut ar-  
mati. Sed neque erit, quod ibi tum denuo postulent à nobis pro-  
bationes ullas, ut Respondentes ab Opponentibus. Neq; enim  
competit eis jus Respondentis; ut dixi jam sæpius. Quod si ve-  
ro petierint, ut discipuli, probationes ab Ecclesia, tanquam do-  
ctrice, adeoque partibus Opponentis & Actoris ante serio re-  
nunciaverint, bene erit; tunc enim non debent ulterius Ec-  
clesiæ præscribere, ex quibus principiis deduci omnia velint, sed  
principia fidei illa acceptare & statuere in mente, quæ traduntur  
à magistra illa nostra sanctissima, solaque in terris peritissima  
semper talium.

IX. Dicamne adhuc unicum? Quam certum nobis est, esse  
Deum, aut bis duo conficere quatuor, tam est nobis etiam cer-  
tum, reperiri à Lutheranis argumentum prorsus nullum unquam  
posse, quod erroris in fide vincat Ecclesiam, aut sophisticum  
non sit; adeoque facilius dilui nequeat, quam ostenditur, Scri-  
pturam sibi met quibusdam locis haud adversari; atque ita per-  
manere verissimum Divi Thomæ illud, *probationes, quæ contra fi-  
dem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.*  
Quod si tam certi itidem Lutherani essent, suppetere sibi ejus-  
modi argumentum, proferrent id equidem. At nunquam fece-  
runt; nunquam facient. Putant sufficere, si ratiunculæ suæ vi-  
deantur sibi met ipsis in suis oculis rationes longe gravissimæ; ni-  
bil pensi habentes, an eæ procedant è principiis ab Ecclesia con-  
cessis, vel non. Ergo perinde est, ac si argumentati nunquam  
fuissent. Quid enim refert, si Opponens, Respondentem esse  
convictum, judicet; quamdiu, inquam, Respondens id non de-  
prehendit in sua conscientia? Probationum vero probationes  
pollicentur quoque? Candide eloquar. Nihil est. Audivimus  
eos jam inde ab eo tempore, quo turbare Ecclesiam cœpit Lu-  
therus; qui sunt anni nunc centum viginti & septem, Cur non  
vel

vel jam tandem proferunt probationem probationum ultimam, & in ea subsistunt? An, quia nesciunt, quid concedamus vel non concedamus? Atqui sic imperitiam produnt rerum nostrarum, quas intus & in cute notas esse sibi, & sibi melius quidem quam nobis, clamitarunt semper; iudiciumq; inde contra nos temerarii se reos peragunt. Aut ergo veniant prius & discant, quid credamus ac doceamus, quam nos inpugnent iudicentque; aut meri cavillatores & calumniatores erunt. Vel, an ideo probationem ultimam, sive ultra probari nesciam, dare statim, eique insistere, ac librorum interim ingentium finem ullum facere, abnuunt, quod litem sine exitu quærant? At sic hostes concordæ erunt; quam qui averfatur, Deum pacis ipsomet averfatur atque odit. Quod signum certissimum erit, fidem eorum & religionem à Deo nequaquam esse. Qua de re alias pluribus.

X. Cæterum, an non, Christum præcepisse unicuique, communicanti sub specie panis, communicare simul sub specie vini, demonstravit jam Catholicis, id negantibus, Helmeftetum ingente volumine, rationibus adamantinis refertissimo? Ita clamat quidem auctor libri; ita clamant omnes ejus affectæ; immo non tam clamant hi, quam conclamant, actum nunc esse de Papiſtis; neminem enim horum inventum iri, qui solidi quid repomat. sic, inquam, iudicant isti, non secus ac si iudices nostri, nobismet etiam agnoscentibus, forent, & mentes Catholicorum omnium, necdum auditorum, ac sensa intima, vel divinare plane infallibiliterq; possent, vel perſcrutati undiquaque, lucernis adhibitis, fuissent, aut edocti etiam forent per Notarium ac testes fide dignos, ita tremere inde ac pavere cœpiſſe Doctores quoque nostros, ut, ad unum omnes desperabundi, elegerint suspendium è trabe, quæ prima sese oculis offerat. Quidnam vero dicunt ad hæc nostri Catholici? Vno verbo; bono se animo esse, nec moveri quidquam ventulo isto. Addam plura? Possem; sed necdum lubet. Illud interea dissimulare nequeo, quod nostrorum non nemo scribit ad ipsum Eminentissimum Archiepiscopum & Imperii Romani magnum Septemvirum, sedentem in Cathedra Moguntina: *Achilles profecto non est Calixtus, cui opus sit opponere tot Hectoras; miserandus ipse magis quam formidandus. Quicquid sit; si argumentum nostrates in volumine hoc vel unicum evidens repererint, manus dabunt illico; sin vero nullum,*  
clama-

clamabunt contra (& potiore quidem jure, quia Respondentes, nomine Ecclesiæ,) actum esse de toto Lutheranorum contra Ecclesiam negotio; præsertim cum credatur à suis ac perhibeatur auctor ille, qui Celsitudini tuæ librum consecravit, scripsisse hac de re melius doctiusque, quam ante eum quisquam Lutheranorum alius, & probationibus quidem usus esse invictissimis. At vero Augustana Confessio fidem hinc Lutheranam arcessit ac suspendit maxime ex illo; *Bibite ex hoc omnes*; nec tamen ipse ostendit, sicuti provocatus erat ut ostenderet unice, sequi inde contra nos quidquam. Ita Moguntia in Vindiciis recentibus. Ita & ego in opusculo Germanico. Ergo, cum demonstratio, quæ debebat esse primaria, vacillet, minoris momenti erunt ipsius jacula cætera. Et hoc ipsum tamen palam quoque; seorsim fit à Moguntino Canonico, viro eruditissimo; immo & à Nihusio. Contra quem scribere Calixtus, licet de dignetur, dignatus tamen fuit; nam quicquid ab ipso contra Ecclesiam Catholicam scriptum est, scriptum est & contra Nihusium. Plura, ut audio, in vulgus emittit subinde Calixtus, ut eo magis officiat Catholicis. Frustra est; immo indicium id est in fugam sese conjicientis; quamdiu necdum convenit inter nos de uno, quod attinet Communionem sub sola specie panis. Itaque hinc stet, si vir est; & ita quidem stet, ut non prodat libidinem criminandi Ecclesiam Catholicam, & huic fidos, tum alios, tum ab anno MDCCXXV Nihusium, (in quo artificio excellere ipsum, lubentes fatemur,) aut etiam alias multiloquii amorem, à quo peccatum non abesse ait Salomon; sed unius tantum teli acie, ex Scripturis aut antiquitate alia depromti, quantum poterit quidem, transverberet Ecclesiæ viscera vitalia, aut, viribus conatu eo fractis atque consumtis, concidat ipse (ut sic loquar) atque exhalet animam. Celsitudinem vero tuam humilime oro ego, ne inclementer accipiat, quod, ubi me tueri causam optimam puto, & venatorem concordie sincerum ago, nequaquam formidem lucem, aut contemptu mei ullo dejiciar. Et sic finiens, eandem Celsitudinem tuam, cum tota Illustrissima familia, & aula, & proceribus ditionis, & subditis cæteris, ipsaque etiam Academia Helmestetenfi, Deo commendo ex animo.

## ANNOTATA.

Ad Num. V.

CASPAR VLENBERGIVS, *in Cauffis.*

Non possunt Evangelici, nolint velint, diffiteri, nos tot centenis annis, ante illorum tempora, in vera, & antiquitus per manus nobis legitime tradita, Christianismi possessione fuisse: in qua eadem, Deo sit laus, usque in hodiernum diem adhuc persistimus. Cæterum quod illi, secessione à nobis facta, ab hujus Christianismi consortio recesserunt, ejus rei causas non habent idoneas, quæ coram Deo consistere, atque ipsorum conscientias tueri possunt. Atque, si vel hoc unum Evangelici diligenter ac serio secum expenderit, & animum, nec occupatum præjudicio, nec omnino præfractum, ad hujus rei cogitationem attulerint, dubium non est, quin paulo momento in eam partem impellantur, ut vel postliminio ad Ecclesiæ Catholicæ communionem redire cupiant. Quod si facere omnino nolint, erit aliquando tempus, ut, pœnitentia ducti, se deceptos esse intelligant.

*Sic ille capite primo. Sequitur jam caput ibidem secundum.*

I. **E**A propemodum est, hoc seculo, veteris Ecclesiæ fortuna, quam, priscis temporibus, Susannæ, mulieris omnium integerrimæ & innocentissimæ, fuisse accepimus. Quemadmodum enim hæc quondam publice traducebatur, quod adultera esset: sic nostro seculo lectissima Christi Iesù sponsa, sparsis per totum orbem contumeliosis clamoribus, graviter ab Evangelicis accusatur, quasi Christo Domino fidem datam fefellerit, & scdissimo sese adulterio contaminaverit. Itaque per Evangelicos, velut ad tribunal, per vim rapta est, & gravissimis accusationibus impetita: nimirum ut, penitus per calumniam oppressa, è medio demum tolleretur.

II. Notum verò est ex lege naturæ, tum ex jure communi, cum causa aliqua legitimo processu discutienda sumitur, necessarium

farium esse, ut principio sit, qui sustineat accusatoris personam, aut crimen deferat. Deinde accusationem idoneis & sufficientibus testimoniis probari oportet. Solet etiam permitti reo, ut contra, quæ ipsius causæ inserviunt, in medium adferat, & seipsum, uti potest, defendat. Postea sententia ipsa ab legitimis causæ iudicibus pronuntiatur. Cui demum executio succedit. Neque fas est, ut vel accusator in sua ipsius causa testimonium ferat, aut iudicis vices subeat, vel testis, accusatoris, aut iudicis partes agat. Si legitimo processu causa tractari debeat, minimum accusatores, testes, & iudices, diversas esse personas oportet. Vide autem, humanissime lector, quomodo hæcenus in ea causa versati sint Evangelici, quam contra Ecclesiam veterem, quæ unica Iesu Christi sponsa est in terris, susceperunt. Sparserunt de ea toto terrarum orbe rumorem, uti diximus, quasi sponso suo non servarit fidem, sed, adulterio turpi commisso, Satanæ scortum evaserit. Itaque hoc agunt, ut, ad supplicium rapta, quacunquæ ratione è medio tollatur.

III. Iam, quis primus Ecclesiam hujus tam horrendi criminis insinulavit? Evangelici. Quod si velint inficias ire, frontem profecto non habeant. Novit enim universus mundus, verum esse, quod hac parte dicimus: quin & eorum libri, & conciones, hoc ipsum perpetuo crepant: ut necesse non sit, huic loco diutius immorari. Qua in re Donatistas, qui D. Augustini seculo pacem Ecclesiæ perturbarunt, imitari videntur. Nam & ii dicere solebant, totum mundum à Christo, violata fide, apostatasse, se vero solos in Africa Dei populum esse.

IV. Secundo, quis de objecto adulterii crimine testimonium rùlit? Evangelici. Si hoc negare velint, quærimus ex illis, quos nunquam alios in hac causa testes adhibuerint, quam seipfos, aut sui similes? Atqui Scripturam in testimonium producent, inquis. Sane quidem, & Satan ipse contra Filium Dei Scripturam produxit: fecerunt idem priscis temporibus, ad Ecclesiam oppugnandam, Ariani, Donatistæ, tum quicquid unquam fuit hæreticorum. Verum, non semper Scripturæ testimonium adfert, quisquis verba Scripturæ producit. Ea enim à vero Spiritu sancti sensu detorta producere, non est Scripturas, aut Dei verbum, sed suum ipsius testimonium adferre. Sic Evangelici Scripturas quidem præ se ferunt; neque quidquam habent in ore



ore frequentius, quam Dei verbum, Euangelium; sacrās literas: verum quod sub eo titulo in medium afferunt, revera non Spiritus Sancti, sed ipsorum, est testimonium. Corruptunt enim Scripturas, easque ad suas cogitationes, quæ ipsis domi natæ sunt, detorquent. Habent nimirum suas phantasias, quibus apposite verbi Dei larvam induunt, easque deinde, testimonii loco, contra Dei Ecclesiam in theatrum producant.

V. Atque hoc fallendi artificio, non tantum Euangelici contra nos, verum etiam in suis domesticis certaminibus alii contra alios, utuntur. Quod Calvinus adversario suo Ioachimo Westphalo, Lutheranz familiæ Evangelico, probrose objicit, cum ait: *Suis omnibus figmentis larvam verbi Dei audacter induit.* Sic Lutherus Carolstadii jactantiam exhibilat, quem indefinenter, Verbum Dei, Verbum Dei, crepare scribit. *Omnia illorum somnia,* inquit, *nihil nisi Verbum Dei sunt.* Hoc est; quicquid id genus homines somniant, id divinæ Scripturæ dictis, tanquam pallio quodam exornatum, in scenam producant, atque deinde pro verbo Dei venditant: quanquam revera nihil amplius, quam suorum capitum somnia, suasque cogitationes, producant. Id ipsum Lutherus etiam de Anabaptistis scribit. *Quandoquidem suas,* inquit, *opiniones mordicus apprehenderunt, rationem ineunt, ut ad eas accommodent, immo per vim trahant, Scripturam.*

VI. Quemadmodum igitur hac parte contra seipso agunt, sic etiam agunt in ea causa, quam contra nos atque Ecclesiam veterem susceperunt. Cujus rei, si placet, exemplum in medium adferamus. Dicunt, Idololatriam esse, quum Ecclesiæ præceptis Catholici paremus, ejusdemque constitutiones atque cærimonias observamus. Quæ testimonia producant, ut id probent? Nomine quidem Verbum Dei; re vero ipsa suas cogitationes. *Scriptum est,* inquit, *Matth. xv; Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Iam quæritur, an ea Scripturæ verba hoc intendant, & satis probent, omnes constitutiones, quæ sive per Apostolos, & Apostolicos viros, sive per generalia Concilia, in Ecclesia Dei sancitæ sunt, idololatricas esse? Nihil vero minus. Christus dictum hoc, ex Isaiâ Propheta, contra Scribas & Pharisæos inducit, qui suas constitutiunculas pluris faciebant, & urgebant magis, quam Dei mandata; immo qui propter suas traditiones præceptum Dei contemnebant, & libere

violabant. Ad hujusmodi casum verba ea, quæ supra posuimus, collimant: neque potest ex iis colligi, quod isti dicunt, omnes in universum humanas constitutiones, idololatricas esse; aut idololatriam committi, si observentur.

VII. Ad hunc fere modum Scripturas plærunque torquent, cum eas in suis concionibus, aut scriptis publicis, ad Ecclesiæ doctrinam oppugnandam producant. Id quod hoc modo facile deprehendas, si sacrarum literarum dicta, quæ per vim aliorum flexerunt, è manibus ipsis extorqueas, easq; primum ab applicationibus ipsorum, tanquam à fermento quodam, expurges, & suo deinde germano veroque sensui restituas. Itaque verum est, quod supra diximus, Evangelicos, cum sacras literas à genuino sensu in alienum detortas adferunt, suum testimonium adferre. Quod dum faciunt, multis certe modis graviter peccant. Nam & Spiritui Sancto, cujus instinctu divinorum voluminum auctores scripsisse constat, ea sæpe affingunt, quæ ipsi nunquam in mentem venerunt: deinde suas ipsorum cogitationes & phantasias verbi Dei nomine audacter venditant: demum Scripturæ divinæ titulo, tanquam ovina quadam pelle, insidiosè recti, simpliciores foede circumveniunt. Quo nomine procul dubio supremo Iudici rationem aliquando reddent.

VIII. Non dicemus hoc loco, quomodo, præter hanc vim, quam Scripturis inferunt, etiam alia permulta in testimonium adducunt, quæ falsa sunt, & confictis, iisque satis crassis mendaciis, atque calumniis, dilectissimam Christi sponsam injustè gravant. Nam ea de re, volente Deo, postea seorsim peculiari capite tractabimus; ut necesse non sit, iis commemorandis nunc diutius immorari.

IX. Tertio, quis in hac gravi causa sententiam pronuncia- vit? Evangelici. Dicent hoc loco: Nequaquam nos ipsos in causa iudices constituimus, sed Scripturæ permittimus, ut sententiam ferat; neque, cum iudicare videmur, aliter quam ex divini verbi præscripto iudicamus: quo fit; ut hujusmodi sententia, non pro nostro, sed pro Scripturæ iudicio, haberi merito debeat. Hæc Evangelici. Ad quæ nos respondemus. Quemadmodum ex Scripturis testimonia producant, sic & sententiam ex iisdem ferunt: scilicet ut & testimonia & sententiam, quæ revera ipsorum sunt, sacrarum literarum titulo insignita

gnita proferant. Cæterum sub hoc velamine occulta quædam & valde periculosa fraus latet, quam nonnihil detegere, & in apertum proferre lubet. Nam in ea certe cardo totius negotii vertitur: & est hoc quasi momentum unicum, ex quo omnes religionis controversiæ dependent.

X. Cum Evangelici Scripturam sacram in rebus fidei controversis judicem constituunt, id hoc tantum sensu faciunt, ut ea ipsa Scriptura non aliter, quam ad ipsorum præscriptum & voluntatem, intelligatur. Neque obscurum est ex omnibus illorum actionibus, eos non alia conditione judicium Scripturis sanctis deferre, nisi ut penes ipsos potestas sit, easdem ad sui capituli normam interpretandi. Quod ex iis, quæ statim dicturi sumus, cuilibet animadvertere licebit. Lutherani, Sacramentarii, Anabaptistæ, Schwenkfeldiani, Ariani, atque omnes omnino hæretici, uno ore clamant, Scripturam sacram, aut Dei verbum, unicam esse normam, qua sola religionis controversiæ omnes dirimi ac dijudicari debeant: quemadmodum omnibus notum est. Jam, si quæras ex iis, quos Calvinianos aut Sacramentarios vocamus, an ferre possint, ut Lutherani, arrepta hac divini verbi norma, doctrinam illorum de Baptismate, de cœna Domini, de peccato originis, de prædestinatione, atque aliis controversis fidei capitibus judicent; reipsa deprehendes, quod id omnino ferre nequeant. Si vicissim Lutheranos interrogas, an suam de capitibus enumeratis sententiam, Sacramentariis, divini verbi regula dijudicandam, permittere velint; intelliges, quod nolint. Nec Anabaptistæ huic eidem normæ, si eam Lutherani, vel Calvinistæ in manu habeant, doctrinam suam examinandam subjicere volunt. Quamobrem vero? Nimirum alii alios suspectos habent, fore, ut hac norma non recte & probe utantur. Igitur quælibet secta hoc spectat, ut ipsa eam in manu habeat. Possunt ferre Lutherani, ut Scriptura judicet; modo Lutheranus is sit, qui sententiam ex Scriptura pronunciat. Similiter & Calvinistæ, & Anabaptistæ, Scripturæ judicium non defugiunt; modo & is eorum similis sit, qui judicium illud promulgat. Si secus fiat, non placet conditio.

XI. Vides igitur, Evangelicos ipsos ferre non posse, ut Scriptura judex sit, nisi eam cuilibet sectæ, ut commodum est, pro suo libitu explicare atq; torquere liceat. Cum igitur ad Scriptu-

ram, tanquam unicum *κελίερον* & normam unicam, provocant, eam semper (quanquam dissimulanter & recte) conditionem adjunctam volunt, ut normam hanc ipsi soli in manu habeant, suoque arbitrari, prout ipsis commodum est, huc illucq; inflectant atque contorqueant. Vbi vero ad hunc modum agere non conceditur, subsistendum ipsis est, neque progredi ulla ratione possunt.

XII. Cæterum, ut apertius intelligas, amice lector, quod hoc loco dicimus, pinguius adhuc rem totam ob oculos tibi defigemus. Cum Lutheranus quispiam dogmata Calvinii condemnat, quo fundamento nititur? Dei verbo, & sacris literis. Cum Lutherani & Calvinistæ simul, Anabaptistarum dogmata condemnant, quo fundamento nituntur? Dei verbo, & sacris literis. Quid igitur in causa est, aut unde hoc pendet, quod alii aliorum iudicium, sacrarum literarum nomine promulgatum, pro vera & sacris literis conformi sententia non agnoscunt? Nimirum id totum ex eo pendet, quia alii alios accusant, quod verum Spiritus divini sensum in sacris literis non assequantur, sed suas ipsorum opiniones, litera divini verbi, tanquam pallio quodam, obtectas, fraudulentè producant. Quis igitur hic iudex erit? vel quis hanc inter eos litem dirimet, aut lata sententia definiet, quæ secta inter omnes verum atq; genuinum verbi Dei sensum, ipsamque Spiritus Sancti mentem, in Scripturis assequatur?

XIII. Sane, in hoc quasi cardine omnes religionis controversiæ vertuntur. Neque ullam hoc loco elabendi viam invenient Evangelici, etiamsi per omnes mundi angulos discurrant. Scriptura enim, quemadmodum humana voluntate scripta non est, ita neque propria interpretatione fit, uti D. Petrus testatur. Vnde consequens est, veram ejus sententiam, non ex privata cuiusquam, sed publica omnium interpretatione, hoc est, ex perpetuo totius orbis Christiani sensu atque consensu, hauriendam esse. Quamobrem, audiendum est hac de re iudicium Ecclesiæ veteris, atque ad eam divinarum literarum intelligentiam recurrendum, quam hætenus universus orbis Christianus, totis mille quingentis annis, tanquam ipsam veritatem, amplexus est. Quod si hoc consilium illis non placeat; si, quemadmodum hætenus fecerunt, in proposito suo persistere volent; si privatas suas, easque dubias & incertas opiniones, publico totius orbis Christiani iudicio

judicio præferre non desistent : certe nihil aliud futurum est, nisi ut, quo vehementius currunt, eo longius à veritate recedant, immo ut de die in diem profundius fœdissimis errorum sordibus immergantur, neque prius à domesticis concertationibus & intestinis diffidiis quiescant, quam seipsos, ut D. Paulus inquit, mutuo devorent, & penitus absument. Quam ad rem hæcenus omnia sua studia contulisse videntur. Non est igitur controversia de Scripturis ( quas Evangelici nobiscum pro Dei verbo agnoscunt) sed de vero germanoque Scripturarum sensu; sine quo Dei verbum nomen suum amittit, & hominum, aut diaboli verbum fieri potest.

XIV. Ex quibus omnibus liquido constat, Evangelicorum sententiam, quam ipsi, velut è Scripturis desumptam, contra veterem Ecclesiam proferunt, non haustam ex Dei verbo, sed è vertiginosis illorum capitibus depromptam esse. Quo fit, ut pro legitima haberi nec debeat nec possit. Alioqui, si recte tractarent divinas literas, easque in vero suo atque Catholico sensu adducerent, nullam illis hoc nomine litem moveremus. Est enim ex ore Dei profecta Scriptura ; scripta quidem ab hominibus, verum ab iis hominibus, qui, tanquam instrumenta divinæ majestatis, Sancti Spiritus instinctu ductuque omnia literis consignarunt. Neque vero etiam inficiamur, eandem Scripturam insignem esse normam : verum, multum interest, quis eam in manu habeat. Si is nequam est, & veterator, magnum Ecclesiæ Christi detrimentum inferre, atque hanc normam, quantumvis justa sit, ad sui capitis phantasmata detorquere, eaque fœde abuti potest. Qua in re Evangelici nostro seculo diligenter & multum versati sunt.

XV. Iterum fatemur, Scripturam sine dubio verbum Dei esse, modo in eo vero sanoque sensu, quem Spiritus Sanctus inter scribendum intendit ( ut eum hæcenus Ecclesia Catholica sine dubio habuit) relinquatur. Si quis eam vero ab hoc sensu aliorum detorqueat, (quod Evangelicos facere ; certum est, ) non jam amplius Dei, sed illius verbum est, qui eam ad instituti sui dispositionem per vim inflectit, & ad palliandum suas cogitationes contorquet. Igitur non minus vere, quam eleganter, D. Hieronymus scriptum reliquit: *Non putemus, inquit, in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu ; non in superficie, sed in medulla;*

*non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Et alibi : Scriptura, non in legendo, sed in intelligendo consistunt. Et D. Hilarius : De intelligentia, inquit, hæresis, non de Scriptura, est ; & sensus, non sermo, fit crimen.*

XVI. Quamobrem ex iis omnibus, quæ hætenus dicta sunt, ad hunc modum concludimus. Si iudicium aliquod, aut sententia in causa religionis, Scripturæ sententia dici debeat, necesse est, ut ea ex vero genuinoque sensu divini verbi profluat. Quod ubi non fit, iudicium illud, aut sententia, neque Dei neque Scripturæ dici potest. Evangelici verò sanum hunc verumque sensum non habent. Quandoquidem in præcipuis fidei Christianæ capitibus, ab hoc vero sensu, quem nos in Ecclesiæ corde descriptum, atque unanimi consensu totius orbis hætenus conservatum, per successionis traducem, & ex Apostolicis temporibus accepimus, volentes discesserunt. Ut mittamus, quod & domesticæ ipsorum concertationes, & gravissima diffidia, satis testantur, quem ipsi Scripturæ sensum tenent, eum Spiritus Sancti non esse. Vnde consequitur, sententiam Evangelicorum, sub divini verbi nomine pronunciatam, non Scripturæ, sed ipsorum esse sententiam, quam, ex suo cerebro depromptam, ut auctoritatem nihilominus haberet, Scripturæ divinæ titulo, tanquam pallio quodam, exornarunt. Itaque verum est, quod initio diximus, eos, in sua ipsorum causa, iudicis obire partes, & sententiam ex suorum capitum tripode pronunciare.

XVII. Quarto, quis sententiam, posteaquam ad hunc modum lata est, tandem exsequitur ? Itidem Evangelici. Neq; vero est necesse, ut hoc pluribus demonstremus ; cum, quæ nostro seculo in Belgio, in Galliis, in Germania, in Anglia contigisse vidimus, satis abunde hæc de re testentur. Cæterû, quando ad executionem veniendum est, hunc plerunq; agendi modum tenent. Principio, quum gladio nondum potiti sunt, sententiam suam, quam vitiose contra Ecclesiam ipsi tulerunt, non legitime promulgant, sed clam vel concionibus secreto passim habendis, vel spargendis libris, inter homines disseminant, atq; ita virus suum furtive simplicioribus instillant. Quod dum faciunt, magnam omnino præ se ferunt humanitatem, atque modestiam ; causamq; suam eo verborum lenocinio pingunt, ut Angelorum te linguas audire putes. Atq; hoc artificio, blandisque sermonibus, id efficiunt,

ficiunt, ut simpliciores, & incautos, facile, quasi objecto fumo, circumveniant, eosque ad hæresios societatem attrahant. Cum vero ad hunc modum satis multos in nassam pertraxerunt, tandem eruptione facta, gladium magistratui legitimo per vim è manibus eripiunt, & magno rigore ipsi sententiam suam exsequuntur: quemadmodum in vicino Belgio, tum aliis etiam in locis, fieri vidimus.

XVIII. Id primum anno Christi *MDXXV*, cum rusticos ad arma sub Euangelii prætextu concitarunt, fieri cœptum est, neque dum in hunc usque diem expeditum: speramus etiam, nunquam futurum, ut destinatum instituti sui finem consequantur. Cæterum, ita in hoc executionis negotio versantur Evangelici, ut nobis Iuliani Apostatæ, Arianorum, Donatistarum, Wandalorum, Gothorum, immo crudelissimorum tyrannorum inter gentiles, res quondam gestas, non descriptas in libris, sed moribus suis ad vivum expressas, ob oculos rursus defigere videantur: ne dicamus, quod, multis in rebus, veterum tyrannorum atque hæreticorum sævitiam, longo post se intervallo relinquunt.

XIX. Præter hæc omnia unum adhuc est, quod in hac causa, contra juris & æquitatis rationem committunt: neque vero id silentio præterire volumus, ut res tota plenius intelligatur. Solet permitti reis, ut postea, quam accusatio facta, vel crimen delatum est, sua quoque vicissim in medium adferre, & quantum possunt, jure se tueri liceat. Verum, & hoc Evangelici nequaquam Ecclesiæ in hac causa permittere voluerunt; immo totis viribus in eam curam incumbunt, ne quisquam sit, qui partes miseræ, & mendaciis propemodum oppressæ Susannæ, dilectissimæ Iesu Christi sponsæ, defendendas suscipere, vel tueri ejus innocentiam, ausit. Si quis vero prodeat, qui id facere conetur, eum continuo hostiliter admodum prosequuntur, & cum impetu, instar canum, mordaciter aggressi, tam scædo conviciorum mucro conspuunt, ut dici non possit: quemadmodum doctis quibusdam & piis viris, inter quos etiam summo loco natos fuisse constat, à Luthero, & aliis id genus hominibus, contigisse scimus. Si quis furtum, homicidium, aut aliud crimen commiserit, illi tamen conceditur, antequam judex ferat sententiam, & exsequutio fiat, ut causam, vitamque suam, quantum potest, tueatur. At apud istos nec audiendi nec cognoscen-

di locus est ; neque ferunt queuquam , qui pro veteri Ecclesia vel emittere verbum, vel mutire aufit : verum indefinenter, obturatis auribus, importunis clamoribus ingeminant illud Iudæorum, Crucifige, & charissimam Christi sponsam, nec auditam, nec testimoniis legitime convictam, densissimo lapidum quasi grandine hostiliter impetuut, eamque omnino è medio sublata volunt. Quis vero talem unquam processum institui vel vidit, vel audivit ?

XX. Quamobrem, quia videmus, Euangelicos in sua ipsorum causa, contra divinum & humanum jus, simul accusatoris partes agere, testimonia ferre, sententiam pronunciare, eamque ipsos exsequi ; & ( quod est amplius, ) re ipsa deprehendimus, accusationem, quã deferunt, iniquam, testimonia falsa, sententiam ex affectu privato latam, executionem vero conjunctam cum tyrannide, & omnino crudelem esse ; causam satis gravem habemus, cur abstineamus ab eorum contuberniis, &, quam ipsi nobis hac parte vim atque injuriam inferunt, eam, in Ecclesiæ sinu conquiescentes, honoris divini studio, & veritatis amore, constanter atque patienter toleremus. Euangelicorum vero interest, ut hæc omnia diligenter secum expendant, & ab hujus tam iniquæ causæ patrocínio mature sese removeant.

*Hactenus Vlenbergius. Qui & postmodum, capite nono :*

**H**Oc loco in mentem mihi venit historiæ cujusdam, quæ de Susanna, matrona omnium pudicissima, & duobus nequissimis veteratoribus, apud Daniele Prophetam describitur ; cum ea ipsa, si rem nonnihil expendere velis, ab Evangelicorum conditione non multum abludat. Seves illi, de quibus apud Daniele est, castissimum Susannæ animum, adulterio proposito, per tentarunt. Cum vero nollet honestissima matrona illorum cupiditati acquiescere, continuo rumorem sparserunt, quasi eam in adulterio cum alio quopiam deprehenderint. Atque eo sane res rediit, ut innocens Susanna, tanquam adultera, lapidibus obruenda fuerit, nisi Deus mirabiliter vitam ejus, per duorum senum discordiam, conservasset, & innocentiam, Danielis ministerio, tutatus fuisset.

Ad eundem plane modum & Evangelici hoc seculo cum Ecclesia Catholica, quæ Christi sponsa est, agere instituerunt.

Prin



Principio, blandis eam verbis inducere conati sunt, ut ipsorum voluntati acquiescere, & receptis, quæ offerebant, falsis dogmatibus, adulterium cum ipsis committere vellet. Dicitur enim adulterium committi, ex Scripturæ consuetudine, cum quis, relicta veritate, mendaciis & pravis dogmatibus adhærescit. Cum vero stuprum hoc Ecclesia recusaret, & Christo Salvatore, sponso suo, quemadmodum Susannam quoque fecisse diximus, matrimonii fidem servare vellet; continuo Evangelici, uti senes isti apud Danielem, sublato clamore, Christi Sponsam publice accusarunt, quod, in adulterio ab ipsis deprehensa, fidem Christo datam turpiter violarit. Atque hunc sane clamorem toto terrarum orbe sparferunt; nimirum, ut eo permoti homines, Christi Sponsam, veluti ream adulterii, lapidibus obruerent, hoc est, ut Ecclesiam Dei penitus opprimerent.

*Quod exemplum de Susanna recte quoque adduxit Lovanii, anno MDCCXXXI, pro Catholicis Sylvaducensibus, Cornelius Iansenius, Spongia cap. III.*

ANTONIVS FABER, *Codicis sui lib. I, tit. I.*

PRIMA illa, nec, meo iudicio, parva nota est hæreticorum nostri temporis, quod omnia propemodum negant, affirmant vero nihil; nisi quod & negando affirmant plerumque, & affirmando negant. Ut facile appareat, ex eorum numero illos esse, qui, ut Tertullianus de hæreticis omnibus scripsit, *credendo non credunt*: dissimiles in eo pagani, qui, ut idem ille ait, non credendo credunt. Nec video, quibus magis quam istis convenire possit, quod de Antichristo magni plerique viri existimarunt, *ἀντίχριστος* nomen illi esse; quandoquidem Antichristianorum omnium, id est, hæreticorum, solemnis mos iste est, ut doctrinam suam fere omnem constituent in negando. Quod si faciunt eo consilio, ut nos onerent probatione, ne quidquam ipsi probare teneantur, næ pessimi sunt non modo Theologi, sed & Iurisperiti. Nec enim apud Iuris nostri sive auctores sive interpretes dubitationem res habet, quin actor, quisquis est, probare debeat suam intentionem, etiam quæ in negando consistat; præsertim vero, si agat quis ad turbandum eum, qui sit in pacifica rei, de qua controversitur, possessione. Alioqui, quid obsecro

certum erit, quid tutum, si actori etiam calumnianti sufficiat negare? Digni sane, quibus id etiam accommodemus, quod D. Ioannes in Apocalypsi de locustis illis scribit, exeuntibus de puteo abyssi, quas ait habere supra se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice *Abaddon*, Græce ἀποδύων, Latine *Exterminans*; ut significet, hæreticos omnes nihil propemodum adstruere, omnia vero destruere; nihil affirmare, omnia negare; tales denique illos esse, ut possit quis non insulse nec falso contendere, si Christiani dicendi sint, negative illos non affirmative Christianos dici debere. Porro, negative Christianum quem esse, quid aliud, rogo, est, quam omnino non esse Christianum?

*Et nonnullis interjectis:*

Et hæc quidem ac innumera pene alia antiquæ & Catholicæ fidei capita negant isti negatores. Si quid autem, præter ea, de quibus nobiscum sentiunt, affirmare videntur, illud omne privativum, putativum & Chimæricum est. Adeo namque sibi in arte negandi placent, ut etiam affirmando negent, & quod supra ex Tertulliano diximus, *credendo non credant*.

*Ac tandem:*

Atque hæc quidem dixisse sufficiat de prima illa nota Antichristianismi; qua hæretici nostri seipsum satis produnt, cum omnia negant, affirmant nihil, & si quid affirmant, illud negativum, & ut Iurisconsulti loquuntur, simplex abnuitivum est & inane.

*Ergo, non Vlenbergius modo (ut Salmeronem & similes, immo & antiquiores, taceam,) sed & Antonius Faber docet nos, Ecclesiam Possidere, ac Rei locum tueri, Lutheranos autem Petitores esse, & Actores. Novimus, de terminorum istorum usu in hoc negotio Fabrum ingentis inscitiae argui à Digressore Helmstetensi. Sed audivi ego Iurisconsultissimos complures, qui uno ore pronunciant omnes, Digressorem potius nescire, quid dicat, adeoque prorsus hic esse ridiculum. Quidni igitur Fabri & nomen radiet hic & resonent effata solidissima?*

NICOLAUS SANDERVS, *lib. VIII de visibili monarchia Ecclesiæ, cap. LVIII.*

**C**VM Antichristus non tam ab eo, quod ipse sit, quam ab eo, cui contrarius sit, appelletur, (nihil enim est aliud Antichristus, quam is qui opponitur Christo,) cumque ob eam causam dica-

dicatur ille adversarius, illud mendacium, & homo ille peccati, cumque Daniel dicat, eum, supra quam credi potest, universa vastare; quæ omnia declarant, totum Antichristi negotium in eo esse, ut veritatem auferat, mendacium, seu id quod non est, statuat, & peccatum incredulitatis confirmet: inde animadvertere licet, illa etiam potissimum esse Antichristi membra, quæ potius in evertendo aliena, quam in stabiliendo sua versantur, immo quorum præcipuum, atque adeo unicum studium est, contradicere, adversari, detrahere, id quod est in Ecclesia tollere, id quod penitus non est, in ejus locum supponere. Ego tam in veteribus hæreticis, quam in iis qui sese Protestantes hodie atque Evangelicos nominant, illud jam diu observavi, non tam promptum huic hominum generi expeditumque esse quid ipsi ponant aut firmiter statuunt, quam quid, ab Ecclesia Dei firmissime constitutum, audacter convellant, & pertinaciter oppugnent. Neque mirum. Non enim, sicut Catholicis facere in more est, suum aliquid fixum & stabile, velut fundamenti loco primum, substernunt, à quo nunquam postea discedant; immo cujus vi & robore id, quod ab aliis aliter docetur, labefactent ac subvertant: verum ante omnia in nostris evertendis occupantur, atque ita demum supra quædam nostri ædificii falso contacta rudera, quæ ipsi opinantur se demolitos esse, sua qualiacunque exædificant; merito ut scripserit Tertullianus in suis adversus hæreticos præscriptionibus: *Ipsam opus hæreticorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione nostra suffodiunt, ut sua ædificent, ita fit, ut ruinas potius operentur stantium ædificiorum, quam extruções jacentium ruinarum.* Hæc ille.

*Inque eandem fere sententiam Vlenbergius, cap. XVI.*

*Cujus verba recitare supersedeo.*

ABRAHAM BZOVIVS, ad annum CIO IO XXI:

*Num. v.*

**W**Ormatix Lutherus respondit; — se Deum non esse, sed hominem, erroribus obnoxium; quod si forte à veritate deflexerit, atque is error è Prophetis & Apostolicis scriptis demonstratur, revocaturum se continuo, nec recusaturum, quin primus omnium libellos suos, flammis injectos, aboleat.

*Num.*

*Num. VI.*

Deinde Lutherus iterum : Nisi manifestis Scripturæ sacræ testimoniis, & apertis dilucidisque rationibus, erroris convincatur, nec posse se revocare, nec velle.

*Ibidem.*

Ioannes ab Eck, Iurifconsultus, Officialis Archiepiscopi Trevirensis, errare ait Lutherum toto cælo, quod dogmata, quondam in generali Concilio Constantiensi damnata, resuscitet, idque sub Scripturæ sacræ prætextu: quod si cuius ea sit indulgentia libertas, ut, quæ per Ecclesiam & Concilia jampridem ante centenos aliquot annos legitime definita sunt, in disputationem revocare liceat, obtentu Scripturæ; futurum, ut in religionis doctrina nihil fere certum & legitimum habeamus: hanc vero fenestram, ad condemnandam Ecclesiæ & Conciliorum auctoritatem, non esse omnino aperiendam.

*Num. X.*

Quod Scripturas opinionibus suis ad hunc modum obtenderet, & doctrinam suam, verbi divini titulo, tam confidenter & libere vendicaret, id novum non esse: nullam unquam hæresin exortam, quæ non hunc clypeum contra Ecclesiam levarit: Arianos ipsos, ad confirmandum errorem de Christi divinitate, Scripturæ testimoniis usos, & multis quidem; non tamen verbum Dei fuisse, sed detestandam blasphemiam, quod Scripturæ sacræ divinique verbi velamine tegebant: gentile semper hoc fuisse superiorum temporum hæreticis, ut commentis suis omnibus Scripturæ divinique verbi larvam induerint: quod vero tam audacter dixerit, Concilium Constantiense Dei verbum & articulum fidei de Ecclesia condemnasse; magnam fuisse temeritatem & impudentiam, cum insigni veritatis injuria conjunctam: non Dei verbum, vel articulum fidei, sed Hussi errorem anathemate notatum. — insignem esse veritatis contumeliam, quod Hussi Wiclefisque commentum de Ecclesia, Dei verbum, Apostolicæque fidei articulum appellarit. deinde vero nec Principes hoc urgere, ut ipse Dei verbum abneget, quemadmodum cum quadam injuria Principum insinuare videatur; sed quia videant, eum falsis opinionibus irretitum, bono affectu suadere, ut, habita ratione salutis & honoris, deponat pertinaciam, & de erroribus, sub divini verbi titulo sparatis, palinodiam canat,

*Qua*

*Qua de re Vlenbergius etiam cap. XVI.*

**P**rimum, *inquit*, Evangelici Concilium Constantiense arrodere, & quædam illius in dubium vocare cœperunt. Quæ temeritas eo jam processit, ut nullum amplius Concilium suo loco habeatur, verum omnia propemodum simul rejiciantur. Quo fit, ut Christiana religio in multis, iisque magni momenti capitibus, incerta reddatur, & quæ sunt in eo solide constituta, nunc demum in dubium revocentur. Vidit hoc acute futurum, præstantissimus vir, Ioannes Eccius, Cæsareæ Majestatis Orator in Comitibus Wormatiensibus, quæ anno salutis CIO IO XXI celebrata sunt; cum urgeret contra Lutherum, non cuilibet homini privato concedendum esse, ut pro libitu reprehendat generalia Concilia, eaque errorum insimulet, aut revocet in dubium, quæ semel ab iis definita sunt. Nam, si id semel permittatur, *inquit*, nihil deinceps in universo Christianismo certum & stabile futurum est. Sane, quæ incommoda præstantissimus ille vir oritura aliquando metuit, cum prima Lutheranismi semina languide adhuc pullularent, ea jam in amplissimam segetem excreverunt.

*Vlenbergii vero Causas toties allegamus, non solum quia liber egregius est, lectuque dignissimus, sed & sigillatim, quia constat mihi, magni eum fieri Coloniaensibus, laceffitibus à Digressore, quem diximus. Exarabam, Septembri CIO IO C XLIV.*

- *Ne detur hic vacuum, adjiciamus, quæ scripsit LAURENTIUS FORERVS, Præfatione Symboli Catholici, ventilati Diligæ, VIII Octobris CIO IO C XXII.*

**P**riusquam, lector, ad particularia veniamus, duo te monenda duxi.

Primum est. Quandoquidem in omnibus aliis humanis controversiis magnam vim habet Præscriptio, & antiquitatis seu prioritatis jus, idcirco minime dubitandum est, quin idem jus in controversiis religionis (ubi cætera alioquin sunt paria) illi parti, quæ hujusmodi jure gaudet, plurimum quoque afferat adjuvamenti. Id quod non latuit doctissimum Tertullianum, qui etiam hunc clypeum sui temporis hæreticis objecit toto libro de

Præ-

Præscriptionibus. Cum ergo, etiam adversariorum testimonio, evidenter constet, Pontificiam doctrinam, dudum ante Lutherani & Calviniani Euangelii exortum, per plurima secula pro vere & pure Christiana doctrina universim per orbem fuisse habitam & receptam; profecto evidens quoque est, Ecclesiam Pontificiam, adversus Lutheranam & Calvinianam, jure quodam antiquitatis & præscriptionis gaudere, titulumque veræ, legitimæ, & puræ Christi Ecclesiæ multo ante, quam Lutherana & Calviniana Synagoga illum usurpare cœperit, possidere. Quare, cum alias melior sit conditio possidentis, etiam in hac parte merito debet esse melior conditio Ecclesiæ Catholicæ: cui si Lutherani & Calviniani velint hunc titulum, puræ Christi Ecclesiæ, tanto tempore antea possessum, eripere, tenentur ipsi partes accusantium suscipere, onusque probandi sustinere; à Pontificiis vero jure exigere plus non potest, quam ut more eorum, qui accusantur, sese defendant ac tueantur. Vnde colligitur, quam subdole & inique in plerisque controversiis sectarii, quando argumentis solidis se sentiunt destitutos, Pontificiis onus probandi imponant. Exemplo sit. Catholici à tot seculis docent, Purgatorium dari, Sanctos invocandos esse, orandum pro mortuis. Quid ad illa adversarii? Impudenter clamitant, à Catholicis hæc dogmata ex Scriptura debere probari: ni faciant, erroris jam esse convictos. Iniqua postulatio; nam faciamus, verbi gratia, aliquam domum à te tuisque majoribus per aliquot centurias annorum fuisse quiete possessam: & deinde litem tibi moveat vicinus tuus, dicatque, hanc domum non esse tuam, sed suam; ac, nisi probes, tuam esse, te causa cecidisse. Quid hinc respondebis vicino tuo? domum cedes? onus probandi in te recipies? An non mox dices? Mi homo; ego & majores mei possedimus tanto intervallo, sine ullius interpellatione, hanc domum veluti nostram: tuum est probare jus tuum, si quod habes in domum hanc: quod ni feceris, ego etiam jure possessionis domum retineo: melior enim est conditio possidentis. Ita sane res habet circa dogmata fidei, & appellationem veræ ac puræ Ecclesiæ. Ecclesia Pontificia, ante Lutherum & Calvinum, supra mille annos, communi totius orbis consensu, quoad doctrinam habitata fuit semper pro vera, pura, Catholica & Apostolica Ecclesia; in cujus nominis & existimationis possessione usque ad annum

num millesimum quingentesimum decimum septimum immota permansit. Quo ergo jure Lutherani & Calviniani hoc nomen jam ad suum novitium cœtum transferunt? Quo jure postulant, ut Catholici, suam doctrinam esse legitimam, ipsi ex Scriptura probent, quos, contra tales adversarios, eximit ab onere probandi ipsa temporis prioritas & possessio? Annon per multa antecessa secula (ut suis locis Bellarminus demonstrat) doctrina de Purgatorio, de invocatione Sanctorum, de oratione pro mortuis, fuit in toto orbe pro pure Christiana tradita & recepta? Gaudet ergo Ecclesia Pontificia jure præscriptionis & antiquitatis contra novatores in hujusmodi doctrina: ut proinde procul ab ea abesse debeat onus probandi, quod adversariis incumbit, Ecclesiam erroris accusantibus. Accusatori enim incumbit probatio, non accusato, nec possessori. Probent ergo adversarii, Purgatorium, invocationem Sanctorum, & similia, sacræ Scripturæ adversari. Quod cum hucusque non fecerint, nec facturi sint, merito Catholici in possessione persistunt. Nam, si quos locos Scripturæ adversarii in contrarium adducunt, eos adducunt in sensu novo & inusitato, aut certe semper repudiato in Ecclesia: cui cum Catholici opponere possint aliam longe antiquiorem interpretationem veteris Ecclesiæ, & plurimorum Sanctorum Martyrum & Confessorum unanimem sensum, qui ante istos sectarios vixerunt; profecto pro Catholicis etiam, in sensu legitimo Scripturæ dijudicando, stat antiquitatis jus & præscriptio. Sane, non satis est, pro se Scripturam citare: hoc enim utraque pars facit; sed, utra in legitimo sensu citet, de hoc est difficultas, quemadmodum ipse Lutherus fassus est, commentario in Ioannis xvi, tom. vii Ienensi, ubi ait: *Papistæ æque ac nos Evangelici de Deo & verbo Dei gloriantur: & utrique pariter pro nobis Scripturas citamus; ac de illis nobis convenit: sed de re ipsa, deque sensu longissime invicem dissidemus.* Si ergo Lutherani vel pro se, vel contra Catholicos, citent Scripturam in sensu novo, & superioribus seculis non recepto; Catholici vero in sensu, quem tot seculorum, ab ortu solis ad occasum, approbavit antiquitas, an non præscriptio possessioque pugnat pro Catholicis? Si negent adversarii, se novo sensu Scripturam interpretari, Lutherum illis objicio, qui (ut in Symbolo Lutherano videmus) libere fassus est, doctrinam suam fuisse tunc, cum eam vulgare inciperet, novam; nullum

lum Doctorem, jam inde ab Apostolicis temporibus recte de justificatione & operibus iudicasse, &c. Quare etiam novo sensu Scripturam Lutherus est interpretatus, ex quo suam doctrinam gloriatur accepisse. Idem de Calviniana doctrina ostendimus in Symbolo Calviniano. Atque hæc, quæ de præscriptione diximus, merito Catholici diligenter observent, si quando cum adversariis sit ipsis disputandum. In hac enim possessione fidei pedem fixere: non patiantur se inde exturbari, nisi adversariorum vi & probatione: quæ cum hucusque invalida fuerit, in sua antiqua fide persistendum sibi ducant Catholici.

Alterum, quod quoque omni studio Catholicis est observandum; quod adversarii doceant, nihil esse credendum, nisi quod in Scriptura continetur. Si ergo alia argumenta proferant, quam ex Scriptura, Catholicus ea sine injuria potest repudiare. Nec statim credendum, si dicant adversarii, se ex Scripturis sequelas necere: sutelas & imposturas necunt, non legitimas sequelas: sua glossemata obrudunt, ex depravato sensu Scripturæ, non autem verbum Dei. Id quod monitum lectorem volui.

*At quorsum ex Foro nos ista? Ut, occasione hac, indicemus Calixto clarius, manifestissimam redditum à nobis iri suo loco inter alia fusilitatem stultitiamque objectionis, qua efficere ipse, & quidem Arnisæo tandem quoque suffragante, laboras, ab Ecclesia nostra possessionem & præscriptionem allegari eo pacto frustra & ridicule, quandoquidem nempe de rebus agatur, qua subesse nequeant legibus civilibus, possessionem & præscriptionem attinentibus. ut item repetamus, quod juxta morem dicunt ac dixerunt, quosquos sunt fueruntque, Catholici; ne unicum quidem proferri ab hostibus contra fidem nostram argumentum posse, quod non sit sophisticum. Vnde rectissime, hoc ipso anno CIO IDC XLIV, dum hac scribo, DIONYSIVS PETAVIVS, Prolegomenorum in Theologica dogmata cap. VI, NUM VIII: Dicam id, quod sæpe multumque perspexi; credo & alii deprehenderint, qui hæreticis, disputando vel eorum legendo scripta, operam aliquando dederint, nullum eos, nisi vitiosum & male cohærens argumentum facere contra Catholicam fidem. Atqui non pauci sunt inter illos dialecticæ minime rudes, sed qui plurimum in illa otii ac laboris contriverint, ut ejus etiam disciplinæ præcepta aliis traderent. At iidem isti, cum in aliis rebus rectâ teneant ex regulis argumenti conclusionem, ubi ventum est ad fidei controversias, repente velut artis obliti suæ, jam nulli dialectici sunt, ac meros εὐλογισμῶν, & perversas rationes proferunt.*

## CORRIGENDA.

pag. 8, lin. 5, post ille deleatur comma. pag. 17, l. 15, lege ibi adfereatur;  
pag. 54, l. 5, deleatur si.

## F I N I S.